QUAESTIONES LACONICAE

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXV HORA XII

PUBLICE DEFENDET

RICARDUS BOEHM

SILESIUS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

FRANCISCUS DIEBITSCH, DR. PHIL.

PAULUS HUNDECK, CAND. PHILOL.

VRATISLAVIAE

TYPIS RUD. GROSSERI

AUGUSTO REIFFERSCHEID

SACRUM

Inter omnes constat Plutarchi vitam Lycurgi uberrimum antiquitatum Laconicarum fontem esse, qui in Lacedaemoniorum republica describenda nullo modo abesse possit. Arte autem historica cum illa prorsus composita non sit[1]), potissimum quaeritur, quosnam fontes Plutarchus adierit. Quare viri docti certatim scriptores quos ille sibi elegisset duces inquisiverunt in diversas disceptantes partes; multa tamen quae nostram huius vitae cognitionem augerent, ab iis in medium prolata sunt, multa vero in incerto relicta, ita ut illa quaestio, in qua quidem summae oboriuntur difficultates, ad probabilem exitum nondum adducta sit. Mirum quantum autem viri docti, qui in Lycurgi Plutarchei auctoribus indagandis studium collocarunt, uno Fluegelio excepto[2]) neglexerunt duos Ps.-Plutarchi libellos, Ἀποφθέγματα Λακωνικὰ (Λυκούργου) et Τὰ παλαιὰ τῶν Λακεδαιμονίων ἐπιτηδεύματα[3]) (Instituta Laconica). Qui cum iam ob magnum cum vita Lycurgi consensum per se accuratiorem disputationem exigant, ex iis etiam plerumque pernosci potest, quales quoque modo Plutarchus adierit fontes; persaepe enim libri illi facultatem nobis dant accurate Plutarchi studia persequendi, qua ratione usus sit auctoribus, quemadmodum exemplar suum amputet augeatve, quomodo excerpta conglutinet atque consarcinet.

---

[1]) Cf. Peter, der historische Werth von Plutarch's Biographie des Lykurg, Mus. Rhen. 1867, p. 62. R. Volkmann, Leben und Schriften des Plutarch von Chäronea, Berol. 1869, I. p. 13. 48.

[2]) In dissert. quae inscribitur: Die Quellen in Plutarch's „Lykurgos", Marburg. 1870, p. 14 sqq.

[3]) Haec inscriptio in Stephani demum editione (Genav. 1572) invenitur, cum in codicibus ea omnino desideretur. Apud Xylandrum autem (ed. alt. Bas. 1572) Νόμιμα Λακωνικὰ inscripta leguntur.

Fluegelium primum hos Ps.-Plutarchi libellos ad vitae Lycurgi auctores investigandos adhibuisse iam dixi. Qui cum de illis eorumque cum Lycurgo Plutarcheo conexu quaedam parum diligenter vel etiam perverse exposita protulerit, eius argumentationem examinans anquiram, Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica utrum inter se cohaereant an diversos sequantur auctores; tum illorum cum vita Lycurgi consensum accurate ostendam; postremo utriusque excerpti sententiarum conexu qui olim fuerit, quantum fieri potest, restituto auctores indagabo ac causae de his libellis principali quasdam secundarias sociabo eiusdem generis affinitate comprehensas quaestiones.

Quaestio num ipsius Plutarchi sint Apophthegmata Lycurgi et Instituta, omitti potest, quoniam spuria ea esse constat, sententiam vero inveteratam[1]), illa e Plutarchi vita Lycurgi excerpta esse, Volkmanni potissimum argumentis usus paucis castigabo. Utriusque excerpti oratio ut omnium fere Ps.-Plutarcheorum scriptorum multis hiulca est hiatibus, quos et in vitis et in scriptis moralibus accuratissime evitasse Plutarchum constat[2]). Deinde excerptores Plutarchum secuti quomodo praebere potuerunt modo plura modo alia? Eosdem potius auctores Plutarchus adhibuit, quos, qui compilaverunt Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica, in suam rem converterunt.

I.

Volkmanni argumentationem sagacissimam, quam supra attuli, Fluegelius quoque confirmavit, qui ut iam dixi in Plutarchi vitae auctoribus investigandis utrumque libellum attigit. Aristocratem vero cum excerptorum illorum communem auctorem esse iudicaverit multaque alia de iis protulerit in lucem, longius in eius argumentis perlustrandis cur commorer, satis habeo causae.

Fluegelius postquam exposuit, quomodo ad Phylarchum, Aristotelem, Heraclidem Ponticum, Xenophontem, Nicolaum

---

1) Trieber, Quaest. Lacon. Pars I. De Nicol. Damasc. Gotting. 1866, p. 9 Instituta Laconica e vita Lycurgi desumpta putat.

2) Jac. Schellens, De hiatu in Plutarchi moralibus, dissert. Bonn. 1864, p. 7 sqq., p. 23 sqq.

Damascenum pertineret Plutarchi Lycurgus, ac sententiae quam Grotius de Lycurgi agrorum divisione proposuit[1]), assensus est, statim ad Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica progressus utraque compilata censet ex uno auctore, quem Plutarchus et ipse secutus sit. Deinde Volkmanno astipulatus docenti Institutorum Laconicorum auctorem statuendum non esse ante Corinthum captam, paragraphi 42 finem, quo nisus ille sententiam tulit, rectius quam ille mihi videtur explanasse. Wyttenbachius enim et Volkmannus cum verba καὶ παραπλήσιοι τοῖς ἄλλοις γενόμενοι τὴν πρόσθεν εὔκλειαν καὶ παρρησίαν ἀπέθεντο καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν argumento esse contendant Instituta Laconica Plutarchi, qui Lacedaemoniorum suo tempore statum non potuerit δουλείαν appellare, non esse, atque prior de hoc loco etiam iudicet: „hic et sequens totus locus nescio quomodo alienus a Plutarchi auctoritate et suppositicius videtur", Fluegelius illis verbis calamitatem expressam putat, in qua Lacedaemonii societatis Achaicae participes fuerint. Hoc certe docto illi viro concedendum est, paragraphi 42 verba καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο, quae sequuntur, ad illud tempus spectare, quo Lacedaemonii Corintho a Mummio expugnata sub dicionem Romanorum pervenerint; cum vero aoristum ἐγένοντο, qui praeteritum inchoativum significaret, nimis urgens librum, unde Instituta Laconica hausta essent, inter annum 146 et 140 compositum esse censuerit, certe in errorem incidit. Nam ex hoc loco nihil colligitur nisi qui sit terminus, ante quem conscriptionem libri ab Institutorum Laconicorum excerptore adhibiti statuere non licet.

Deinde coniecit Fluegelius Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica ex uno fonte ab eodem excerptore hausta esse; utrumque enim multa praebere quae cum Plutarchi vita consentirent, nihil autem rerum, in quibus ipsa inter se possent componi, nec consentaneum esse duos excerptores, qui ex

---

[1]) Hanc refutavit Curt. Wachsmuth. Indic. doct. Gotting. 1870, p. 1808 sqq., cui astipulatur E. Curtius Griech. Gesch. ed quarta I, p. 636 adn. 32. Grotii autem partes suscepit Peter l. c., de cuius conatu conf. Gilbert, Studien zur altspart. Geschichte, Gotting. 1872, p. 94.

eodem auctore delibantes eandem tractarent rem, nihil simile tradere; certo potius consilio compilatorem fontem adiisse, ita ut in Apophthegmatis Lycurgi vitam huius viri dictaque, in Institutis Laconicis Lacedaemoniorum rempublicam describeret. Tum autem pergit: „Wenn wir also den Verfasser der Instituta Laconica suchen, dürfen wir auch getrost den Pfaden folgen, auf welche uns die Apoph. weisen.“ Ex omnibus vero, quae in Apophthegmatis Lycurgi de agrorum divisione, de novis tabulis introductis, de divitum in Lycurgum odio, de aliis eiusmodi rebus afferantur, apparere auctorem qui vir popularis fuerit. Confectionis igitur tempore ex Institutis Laconicis, ex altero excerpto auctoris doctrina politica indagatis temptavit Fluegelius invenire, ad quem scriptorem utrumque posset accommodari. Quare scriptorum numerum, quos medio saec. II. a. Chr. n. spatio de rebus Laconicis egisse constat, perlustrans Apollodorum, Satyrum, Agatharchidem, Aristocratem nominat: primi Χρονικά tale argumentum, quale in duobus illis excerptis legatur, certe non continuisse; alterum vero composuisse vitas virorum illustrium; tertius autem, qui Εὐρωπιακά scripserit, num historiam perduxerit ad Corinthi expugnationem, dubium esse neque eius fragmenta cum excerptis illis congruere; Aristocratem vero esse, a quo Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica repetenda sint. Quem esse auctorem Fluegelius conclusit non modo e tempore, cum verisimile esset medio saec. II. spatio eum floruisse, sed etiam e doctrina politica, quam hunc scriptorem temporibus illis turbulentissimis professum esse etiam nunc possemus eruere; nam e Plut. Philopoem. c. XVI, ubi Aristocrates nominaretur auctor ita ut magnum Achaeorum odium eius proderetur, elucere eum in factionum certamine versatum populi commodis prospexisse, videlicet fuisse popularem qui Lacedaemoniorum societatis Achaicae tempore condicionem indignissimam facile posset δουλείαν appellare; hoc autem optime quadrare ad sententias populares in Apophthegmatis Lycurgi prolatas.

Ut concedam quidem inter Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica verborum consensum non esse, vix probabile videtur compilatorem tali provincia functum esse tantamque curam impendisse, ut duplici modo scriptorem, quem

manibus triverit, excerperet. Sin vero ad sententiam respicis, fundamentum coniecturae labefactari vides dilogia, quae inter Ap. Lyc. § 18 et Inst. Lac. § 5 extat; illic enim Lycurgus unguentum sustulisse dicitur, alter vero excerptor cum Plut. Lyc. c. XVI consentiens Lacedaemonios unguento se abstinuisse narrat. Noli tamen putare auctorem quem vult Fluegelius communem utramque illam sententiam continuisse. Hi duo enim loci ipsa specie inter se differunt ita, ut in Apophthegmatis Lycurgi verbis καὶ τὸ μὲν μύρον ἐξήλασεν ὡς τοῦ ἐλαίου φθορὰν καὶ ὄλεθρον Lycurgi factum tradatur, in Institutis vero Laconicis verbis καὶ λουτρῶν καὶ ἀλειμμάτων κατὰ τὸ πλεῖστον ἀπεχόμενοι consuetudo, quae Spartae obtinuerit. Itaque de eadem re cum utrobique agatur, iam effecisse mihi videor duos illos Ps.-Plutarchi libellos non ex uno auctore, qui in Plutarchi quoque fuisset manibus, excerpta esse; Plutarchum potius in vita Lycurgi duos auctores, alterum qui Lycurgi facta describeret, alterum qui inlustraret instituta Laconica, adiisse existimo. Utriusque autem auctoris libri in brevius coacti felici casu aetatem tulerunt: nempe Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica sunt epitomae eorundem historicorum veterum, quos Plutarchus in vita Lycurgi compilavit. Ceterum cum alterius excerpti argumentum consideremus, commonemur de genere librorum, quod Περὶ πολιτείας alicuius gentis inscribi solitum ad eius instituta spectabat atque potissimum inde a Xenophontis aetate erat in usu. Ac profecto multi scriptores ut Dicaearchus,[1] Dioscorides,[2] Persaeus,[3] Hippasus,[4] Molpis[5] Πολιτείαν τῶν Λακεδαιμονίων composuisse traduntur, nec falli me puto opinione, Institutorum Laconicorum auctorem rempublicam Lacedaemoniorum illorum scriptorum more descripsisse. Apophthegmata vero Lycurgi a tali argumento prorsus abhorrent: qualis liber fuerit unde haec excerpta sint, mox videbimus.

---

1) Müll. F. H. G. II. 225 sqq.

2) Athen. IV. p. 140 B.

3) Müll. F. H. G. II. 623.

4) Diog. Laert. VIII. 84. Athen. I. p. 14 C. Müll. F. H. G. IV. 430.

5) Athen. IV. 140 B. 141 D. XIV. 664 E. Müll. F. H. G. IV. 453.

II.

Dilogia quam inter Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica ostendi, iam sufficit ut supra commemoravi ad Fluegelii sententiam refellendam, duo illa excerpta ex eodem auctore deprompta esse. At alias quoque licet detegi; qua in quaestione recte diiudicanda ordiendum mihi videtur a consensu, qui inter illa excerpta et vitam Lycurgi persaepe animadvertitur.

Comparationem inde a cap. VIII, ubi similitudo primum conspicitur, usque ad vitae finem instituentes Plutarchum modo Apophthegmatum Lycurgi modo Institutorum Laconicorum auctorem in suum convertisse usum intellegimus. Inter hos autem Lycurgi locos cum alterutra epitoma congruentes capita interposita sunt quae, cum nullo modo cum illis consentiant, unde manaverint quaeritur.

Ut ipsa specie alterum excerptum, cuius auctor de Lycurgi vita dictisque agit, cum altero, quo Lacedaemoniorum leges institutaque describuntur, prorsus dissentit, ita capita quoque Plutarchi iam ipsa forma inter se differunt.[1]) Quodsi illa capita quae cum Apophthegmatis Lycurgi et Institutis Laconicis similitudinem non praebent, hanc vel illam speciem exhibent, hoc commodum, nisi alia difficultas obiicitur, nobis paratur, ut ea aut ad historicum aut ad antiquarium ut bre-

[1]) Ut unum modo specimen afferam, capite VIII et IX, quibus Lycurgus agrorum divisione omnem superbiam invidiamque sustulisse ac ferreis nummis introductis bellum intulisse narratur omni luxuriae artibusque illiberalibus, legislator ipse tota oratione, quae magnam partem cum Ap. Lyc. § 2, 3 concinit, quasi agens tam vividis coloribus depingitur, ut auctorem historicum statuere necesse sit. Quotiens enim commemoratur Lycurgus! Quotiens eius facta eaque certissimis elocutionibus (συνέπεισε, ἔνειμε, ᾤετο, περιῆλθεν, ἀφείλετο, cett.) insigniuntur! Caput autem XII cum Inst. Lac. § 1, 2, 3 congruens ad scriptorem, qui rempublicam Lacedaemoniorum descripserit, referendum esse nemo certe infitiabitur, idque eo minus, quod huic capiti narratio de iniuriis Lycurgo illatis praecedit atque, id quod parvi momenti haberi noluerim, capite insequenti Plutarchus statim pergit: Νόμους δὲ γεγραμμένους ὁ Λυκοῦργος οὐκ ἔθηκεν κτλ.

viter dicam auctorem possimus referre. Lycurgi igitur capita VIII—XXXI quomodo e duobus auctoribus modo statutis hausta putem, hoc schemate indico:

Historicus	Antiquarius
cap. VIII	cap. XII
„ IX	„ XVI
„ X	„ XVII inde a verbis κλέπτουσι δὲ καὶ τῶν κτλ.
„ XI	
„ XIII	
„ XIV	„ XVIII usque ad verba ἀποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς.*)
„ XV	
„ XIX	
„ XXII	

*) Ex hoc schemate apparet capitis XVII priorem et capitis XVIII alteram partem duobus auctoribus, quibus reliqua capita tribui, me non assignasse; nec possunt ad illos referri, sed alii auctori Plutarchum illa debere spero me evicturum esse. Ut enim omittam cap. XVII initio puerorum amatores memorari, de quibus antea non actum sit, sed insequenti demum capite fiat sermo, verbis καὶ προσεῖχον οἱ πρεσβύτεροι καὶ μᾶλλον ἐπιφοιτῶντες εἰς τὰ γυμνάσια καὶ μαχομένοις καὶ σκώπτουσιν ἀλλήλους παρατυγχάνοντες οὐ παρέργως κτλ. idem Plutarchus dicit quod cap. XVI: Ἐπεσκόπουν δὲ οἱ πρεσβύτεροι παίζοντας αὐτοὺς καὶ τὰ πολλὰ μάχας τινὰς ἐμβάλλοντες ἀεὶ καὶ φιλονεικίας οὐ παρέργως κατεμάνθανον κτλ. atque verbis κατ' ἀγέλας αὐτοὶ προΐσταντο τῶν λεγομένων εἰρένων ἀεὶ τὸν σωφρονέστατον καὶ μαχιμώτατον idem quod cap. XVI: Ἄρχοντα δ' αὐτοῖς παρίστατο τῆς ἀγέλης τὸν τῷ φρονεῖν διαφέροντα καὶ θυμοειδέστατον ἐν τῷ μάχεσθαι. Tantae vero dilogiae ne Plutarchum unum eundemque auctorem in his adiisse statuamus, satis vetant; at alia quoque documenta extant. Plutarchus enim postquam puerorum ἄρχοντας omnes aetate provectiores esse dixit, de singulis praefectis maximeque de iuvene cuique gregi domi bellique praefecto ac de furandi exercitationibus ab illo institutis verba facit; eum pueris imperasse ut in paranda cena sibi ministrantes suggererent ligna ex hortis cibosque e virorum phiditiis atque deprehensos flagello verberasse. Quibus allatis ad auctorem, quem cum Institutorum Laconicorum excerptore communem paulo ante c. XVI ducem sibi elegerat, tam aperta dilogia adhibita redit, ut nequeamus non mirari, quam inepte is hoc caput conglutinaverit. Legimus enim: οὗτος ὁ εἴρην εἴκοσι ἔτη γεγονὼς ἄρχει τε τῶν ὑποτεταγμένων ἐν ταῖς μάχαις καὶ κατ' οἶκον ὑπηρέταις χρῆται πρὸς τὸ δεῖπνον. Ἐπιτάσσει δὲ τοῖς μὲν ἁδροῖς ξύλα φέρειν, τοῖς δὲ μικροῖς λάχανα. Καί φέρουσι κλέπτοντες οἱ μὲν ἐπὶ τοὺς κήπους βαδίζοντες, οἱ δὲ εἰς τὰ τῶν ἀνδρῶν συσσίτια παρεισρέοντες εὖ μάλα πανούργως καὶ πεφυλαγμένως· ἂν δ' ἁλῷ, πολλὰς

cap. XXIII	cap. XX ?
= XXV	= XXI
= XXVI	= XXIV
= XXIX usque ad verba καὶ οὐ διεψεύσθη τῶν λογισμῶν.	= XXVII
	= XXVIII
= XXXI.	= XXIX inde a verbis τοσοῦτον ἐπρώτευσεν κτλ.
	= XXX

Ipso igitur argumento Lycurgi capitum licet probari Plutarchum Apophthegmatum Lycurgi et Institutorum Laconicorum auctores, quorum alter res a Lycurgo gestas eiusque dicta, alter instituta descripserit, non tantum illic, ubi cum his duobus excerptis comparari possit, sed etiam aliis locis secutum esse ideoque tota fere capita VIII—XXXI ex his duobus fontibus manasse. Quae cum ita sint, nihil refert Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica inter sese nullo fere modo consentire, sed

λαμβάνει πληγὰς τῇ μάστιγι, ῥᾳθύμως δοκῶν κλέπτειν καὶ ἀτέχνως. Iam vero pergit Plutarchus dilogiae, quae ita efficitur, nulla ratione habita: Κλέπτουσι δὲ καὶ τῶν σιτίων ὅτι ἂν δύνωνται μανθάνοντες εὐφυῶς ἐπιτίθεσθαι τοῖς καθεύδουσιν ἢ ῥᾳθύμως φυλάττουσι. Τῷ δὲ ἁλόντι ζημία πληγαὶ καὶ τὸ πεινῆν. Γλίσχρον γὰρ αὐτοῖς ἐστι δεῖπνον ὅπως δι' αὐτῶν ἀμυνόμενοι τὴν ἔνδειαν ἀναγκάζονται τολμᾶν καὶ πανουργεῖν. Καὶ τοῦτο μὲν ἔργον τῆς ὀλιγοσιτίας κτλ. Ex auctore igitur antiquario capitis XVII partem priorem desumptam non esse docent dilogiae modo expositae, nec Apophthegmatum Lycurgi auctor ab illo loco, quo res minime historice tractentur, non abhorret. Itaque alius scriptor est, ad quem Plutarchus non tantum capitis XVII initio se applicavit, sed etiam postquam auctorem antiquarium usque ad capitis XVIII verba ἀποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς exscripsit, oratione in media sententia interrupta verbis δειπνήσας δὲ ὁ εἴρην κτλ. revertit eumque ad finem eiusdem capitis tenuit. Hoc iam Fluegelius quodammodo intellexit, cum p. 47 haec dicat: „in Bezug auf die Knabenliebe vgl. Xen. r. l. II, 12—14, wo die Sache weiter ausgeführt wird, übrigens auch weit übersichtlicher als bei Plutarch, welcher uns hier (sc. c. XVIII) und im Eingange des 17. Kapitels ziemlich abgerissene Angaben liefert, ein Umstand der . . . . . . vielleicht darauf hindeutet, wie Plutarch den Versuch machte sich von der ihm vorliegenden Quelle zu emancipiren oder sie wenigstens selbstständiger zu verarbeiten, ein Versuch, welcher wie aus dem gesagten hervorgeht, nicht recht glücken wollte.“ At non de suo illa adiecisse Plutarchum ex ipsa consarcinandi ratione iure concludi videtur.

alia res in quaestionem venit, num in capitibus VIII—XXXI, quae ad diversos auctores rettulimus, dilogiae inter auctorem historicum et antiquarium deprehendantur.

Ac profecto iam e cap. X et XII talis cognoscitur. Utrobique enim de cenis collaticiis agitur, sed ita ut illic cur Lycurgus eas instituerit, narretur, hic vero consuetudinum, quae in syssitiis obtinuerint, fiat mentio; tum illud caput cum Ap. Lac. § 4, 5, 6 comparantes ipsa specie docemur ex historico auctore id esse demptum, caput autem XII quod similitudinem cum Inst. Lac. § 1, 2, 3 exhibet, totum e πολιτείας auctore delibatum esse consentaneum est[1]). Hoc vero capite Plutarchus ubi primum narravit domi cenare licuisse certis condicionibus, quae si non extarent, omnes interesse phiditiis debuisse, optimo rerum conexu historiolam de Agidis in legem illam immodestia sane punita affert. Quam eandem narratiunculam Apophthegmatum Lycurgi quoque excerptor tradit § 6, quocum loco Lycurgi capitis X finis congruit historiola ipsa omissa[2]).

---

[1]) Nec Fluegelius et ipse quamvis tanto studio omnes Lycurgi locos ad unum fere auctorem conaretur referre, praetermittere potuit, quin p. 36 de cap. X et XII iudicaret: „im 10. ist der Bericht mehr historisch und philosophirend, im 12. mehr antiquarisch gehalten".

[2]) Conferendi causa hos tres locos afferam:

Ap. Lyc. § 6.

Παρεφύλαξε δὲ ὥστε μηδ᾽ οἴκοι προδειπνήσαντας ἐξεῖναι βαδίζειν ἐπὶ τὰ συσσίτια πεπληρωμένους ἑτέρων ἐδεσμάτων ἢ πομάτων· ἐκάκιζον δὲ οἱ λοιποὶ τὸν μὴ πιόντα ἢ φαγόντα μετ᾽ αὐτῶν ὡς ἀκρατῆ καὶ πρὸς τὴν κοινὴν ἀπομαλακιζόμενον δίαιταν· ἐζημιοῦτο δὲ καὶ ὁ φανερὸς γενόμενος. Ἄγιδος οὖν μετὰ πολὺν χρόνον τοῦ βασιλέως ἐπανελθόντος (καταπεπολεμήκει δὲ Ἀθηναίους) βουλομένου παρὰ τῇ γυναικὶ μιᾷ ἡμέρᾳ δειπνῆσαι καὶ μεταπεμπομένου τὰς μερίδας, οὐκ ἔπεμψαν οἱ πολέμαρχοι· μεθ᾽ ἡμέραν δὲ φανεροῦ γενομένου τοῖς ἐφόροις ἐζημιώθη ὑπ᾽ αὐτῶν.

Lyc. c. X.

Οὐδὲ γὰρ οἴκοι προδειπνήσαντας ἐξῆν βαδίζειν ἐπὶ τὰ συσσίτια πεπληρωμένους, ἀλλ᾽ ἐπιμελῶς οἱ λοιποὶ παραφυλάττοντες τὸν μὴ πίνοντα μηδὲ ἐσθίοντα μετ᾽ αὐτῶν ἐκάκιζον ὡς ἀκρατῆ καὶ πρὸς τὴν κοινὴν ἀπομαλακιζόμενον δίαιταν.

Lyc. c. XII.

Ἐξῆν γὰρ οἴκοι δειπνεῖν ὁπότε θύσας τις ἢ κυνηγῶν ὀψίσειε, τοὺς δὲ ἄλλους ἔδει παρεῖναι καὶ μέχρι γε πολλοῦ τὰς συσσιτήσεις ἀκριβῶς διεφύλαττον. Ἄγιδος γοῦν τοῦ βασιλέως ὡς ἐπανῆλθεν ἀπὸ τῆς στρατείας καταπεπολεμηκὼς Ἀθηναίους, βουλομένου παρὰ τῇ γυναικὶ δειπνεῖν καὶ μεταπεμπομένου τὰς μερίδας οὐκ ἔπεμψαν οἱ πολέμαρχοι. Τοῦ δὲ μεθ᾽ ἡμέραν ὑπ᾽ ὀργῆς μὴ θύσαντος ἣν ἔδει θυσίαν, ἐζημίωσαν αὐτόν.

Cum autem Ap. Lac. § 6 documento sit narratiunculam illam, quae capite XII ex auctore antiquario excerpto traditur, apud historicum quoque, quem capite X Plutarchus adiit, lectam esse, dilogia haud deneganda inter utrumque fontem conspicitur, quae docet Fluegelium duo illa excerpta uni eidemque auctori tribuentem erravisse.

Vitae Lycurgi capita inter sese et cum duobus excerptis Ps.-Plutarcheis conferre si pergimus, alius dilogiae emicare videntur indicia in capite XV. Plutarchus enim postquam c. XIV fuse explanavit puellas quoque participes fuisse severae educationis, qua pueri instituerentur, atque historiola scite et facete dicta caput finivit semper sane auctorem historicum sive apophthegmaticum secutus, insequentis capitis initio paucis complexus est incitamenta, quibus Lycurgus ad matrimonium ineundum invitasset. At non modo adhortatus esse Lycurgus ad legitimae uxoris consortium appetendum, sed etiam caelibes ignominia notasse dicitur. Iuvat autem ipsius Plutarchi verba cum excerptoris loco comparata apponere:

Plut. Lyc. XV.	Ap. Lyc. § 14.
Εἴργοντο γὰρ ἐν ταῖς γυμνοπαιδίαις τῆς θέας· τοῦ δὲ χειμῶνος οἱ μὲν ἄρχοντες αὐτοὺς ἐκέλευον ἐν κύκλῳ γυμνοὺς περιϊέναι τὴν ἀγορὰν, οἱ δὲ περϊιόντες ᾖδον εἰς αὐτοὺς ᾠδήν τινα πεποιημένην ὡς δίκαια πάσχοιεν, ὅτι τοῖς νόμοις ἀπειθοῦσι· τιμῆς δὲ καὶ θεραπείας, ἣν νέοι κτλ.	Εἴρξας δὲ τοὺς ἀγάμους τῆς ἐν ταῖς γυμνοπαιδίαις θέας, καὶ ἀτιμίαν προσθεὶς πολλὴν πρόνοιαν ἐποιήσατο τῆς παιδοποιΐας· τιμῆς δὲ καὶ θεραπείας, ἣν νέοι κτλ.

Elucet igitur e comparatione excerptorem ἀτιμίας illam turpissimam partem, qua caelibes hieme nudos forum circumire versusque, quibus perstringerent semet ipsos, cantare cogerentur, prorsus omisisse; statim potius perrexit narrare ἀγάμους privatos fuisse honore et iuvenum in maiores natu ministerio, atque Dercyllidae exemplum [1]) in medium protulit. Cum vero non sit, cur excerptorem summam illam ignominiam,

[1]) De hac re cf. Fr. Osann, De caelibum apud veteres condicione, Comment. I Giess. 1827.

qua caelibes afficerentur, apud auctorem communem legisse negemus, Plutarchum, ut reliqua, quae capite XV continentur, ita huius poenae commemorationem e communi auctore historico delibasse opinor. Mirum autem est, quod fere eandem poenam, quam caelibes dedisse Plutarchus historicum secutus auctorem refert, pueri in crimine deprehensi luisse in Inst. Lac. § 9 traduntur: Εἴ τις φωραθείη ἁμαρτάνων, ἔδει τοῦτον βωμόν τινα τῶν ἐν τῇ πόλει κύκλῳ περιϊέναι, ψόγον ᾄδοντα πεποιημένον εἰς ἑαυτόν· ὅπερ ἦν οὐδὲν ἕτερον ἢ ἐπιπλήττειν αὐτὸν ἑαυτῷ. Utrobique igitur idem narratur atque si Fluegelii sententiam, Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica ex eodem manasse fonte, confirmas, tibi statuendum est in hoc unam eandemque poenam traditam esse diversis vitiis decretam. Hoc vero cum credi nequeat, illius coniectura novo argumento concussa concidit.

Apophthegmatum quidem Lycurgi angustiis prohibemur, quominus inde a capite XXII locos afferamus, qui cum Plutarchi vita consentientes unius auctoris communem usum confirment, nihilominus autem ut iam supra commemoravi, ex ipsa capitum specie potest concludi, unde quodque depromptum sit. Quamobrem quamquam Apophthegmatum Lycurgi nulla iam excerpta praesto sunt, caput XXV, quo res historice tractentur, auctori historico tribuo, cum antecedens caput, quod componi liceat cum Inst. Lac. § 41, e πολιτείας scriptore repetitum esse pateat. In his vero duobus capitibus tres dilogiae tam apertae extant, ut Fluegelii argumentatio, caput XXIV et XXV ex uno manasse fonte, prorsus elevetur. Capite enim XXV Plutarchus scripserat quaestum sordidum facere Lacedaemonios vetitos fuisse, insequenti autem capite Lacedaemonii appellantur οὐδενὸς μεμνημένοι τῶν πρὸς χρηματισμὸν ἢ χρείαν ἀγοραῖον συντελούντων. Deinde conferantur capitis XXIV verba: οὐδεὶς γάρ ἦν ἀφειμένος ὡς ἐβούλετο ζῆν cum insequentis verbis: Τὸ δὲ ὅλον εἴθιζε πολίτας μὴ βούλεσθαι μηδὲ ἐπίστασθαι κατ᾽ ἰδίαν ζῆν; denique notissima illa Lacedaemoniorum sententia, homines non sui sed civitatis esse, utrobique docetur, illic verbis: νομίζοντες οὐχ αὑτῶν, ἀλλὰ τῆς πατρίδος εἶναι, hic verbis: ὅλους εἶναι τῆς πατρίδος. Certioribusne igitur indiciis possumus adduci, ut haec duo capita, quae Fluegelius ex uno derivavit

auctore, non rerum argumento sententiarumque perpetuitate coniuncta, at inepte consarcinata ex diversis auctoribus putemus?

Ad spatium quod modo emensus sum cum paululum respiciam, argumentatione mea evicisse videor, cum in Apophthegmatis Lycurgi et Institutis Laconicis semel eandem rem tractari, tum alias extare in Plutarchi vita dilogias, quibus saltem duos auctores eum secutum esse appareat. His igitur documentis Fluegelii sententia reiecta est, excerpta illa Ps.-Plutarchea ex uno fonte ab eodem excerptore diverso consilio hausta esse, qua refutata elucet omnia quoque corruere quae inde concluserit. Qui cum ex Inst. Lac. § 42 communis qui vocatur auctoris aetatem, ex Apophthegmatis autem Lycurgi eius doctrinam politicam eruisse sibi videatur ac duobus his argumentis coniunctis Aristocratem fuisse auctorem studuerit efficere, eum opinione falsum esse iam liquet. Hoc potius pro explorato ponendum est, duo illa excerpta e diversis desumpta esse auctoribus.

III.

E comparatione, quam inter vitam Lycurgi et libellos illos Ps.-Plutarcheos instituimus, facile intellegitur modo Plutarchum modo excerptores magis anxie se applicasse ad auctores suos; sane in universum ille plura exhibet, id quod pro excerptorum angustiis mirum esse non potest. Quae cum ita sint, consentaneum videtur esse Lycurgi Plutarchei auxilio auctores, e quibus duo ista excerpta delibata sunt, restitui posse, idque eo melius fieri, quia Apophthegmata Lycurgi et Instituta Laconica quamvis exilia ac male tradita etiam nunc rerum ordinem quendam ac dispositionem praebeant.

Primum igitur auctoris historici conexum sententiarum si instaurare conamur, in Apophthegmatis Lycurgi hunc rerum ordinem cernimus:

1. Prooemium.	§ 1.	
2. De agrorum divisione a Lycurgo facta.	§ 2.	Lyc. c. VIII.
3. Lycurgus pecuniae pretium deminuit.	§ 3.	„ „ IX.

4. De phiditiorum institutione, qua divitum in Lycurgum odium excitatur.	§ 4—6.	Lyc. c. X.
	§ 7.	= = XI.
5. Rhetrae Lycurgeae.	§ 8—11.	= = XIII.
6. Leges a Lycurgo de puellarum disciplina ac de matrimonio latae.	§ 12. 13.	= = XIV.
	§ 14.	= = XV.
	§ 15. 16.	
	§ 17.	= = XV.
	§ 18. 19.[1]	
	§ 20.	= = XV.
7. Lycurgus optimum exemplar brevis ac facetae dictionis fuit.	§ 21—23.	= = XIX.
	§ 24—26.	
	§ 27. 28.	= = XIX.
	§ 29. 30.	= = XXII.

Jam cum ad Apophthegmatum Lycurgi auctorem refingendum aggrediamur, primum Fluegelii sententiam impugnamus, Plutarchum non toto capite VIII, sed eius fine modo auctoris historici cum excerptore communis vestigia legisse; nam ex Ap. Lac. § 2 initio verisimile est excerptorem omnia ea, quae capite VIII continentur, ante oculos habuisse.

Porro omnia quae in cap. IX—XI leguntur, confirmant Apophthegmata Lycurgi augentque; quibus allatis c. XII Plutarchus adiecit nonnulla ex auctore antiquario deprompta, ut materiem, quam historicus obiter modo tetigerat, uberiore phiditiorum descriptione augeret; c. XIII autem ad priorem auctorem in fine capitis XI relictum revertitur, ut per maius

[1]) Quod has paragraphos, quibus Lycurgus unguentum omnemque ornatum ex urbe sustulisse traditur, huic titulo subiecerim, causas nemo requiret. Artibus enim hic vetitis feminarum potissimum mores corrumpuntur peritque matrimoniorum sanctitas. Immo vero alteri paragrapho § 20 optime adiungitur, qua Sparta adulterio prorsus non maculata collaudetur.

eum sequatur spatium. Nam ea quae dicuntur de Lacedaemoniorum legibus non scriptis, de aedibus ex lege securi serraque aedificandis earumque simplicissima supellectile, de rhetra, qua eidem hosti saepius bellum inferre Lacedaemonii vetabantur, deinde omnia quae agunt de puellarum severa ac paene virili educatione, de caelibum poena, de concubitu inter coniuges coercito, de Lacedaemone stupro prorsus vacua, referunt Ap. Lac. § 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 17,[1]) 20 et Plutarchi vitae capita XIII, XIV,[2]) XV; ubique autem omnia ita ad Lycurgum referuntur, ut non anceps sit iudicium, utrum auctorem Plutarchus adierit.

Qui simulac caput XVI atque magnam partem capitum XVII et XVIII ex auctore antiquario desumpsit, c. XIX[3]) ad auctorem historicum inde a capite XV neglectum redit atque Lycurgum pueros brevi ac faceto sermone uti docuisse et optimum in hac re fuisse exemplar narrat; nam Lycurgi solius fere sententiae referuntur ita ut de alio atque de auctore ut breviter dicam apophthegmatico cogitare nequeamus. Quod vero hoc capite brevis ac salsae dictionis explanantur commoda, res Ap. Lyc. § 21—27 traditas valde confirmari et augeri vides.

Quibus rebus allatis duo capita ex auctore antiquario desumpta a Plutarcho interiiciuntur. C. XXII autem eum sequi historicum docet consensio quae inter illud et Apophthegmata Lycurgi facile pernoscitur; ex eo vero quod capite subsequenti Lycurgus pacis amans Olympiorum inducias instituisse traditur

---

[1]) Cf. Xen. R. Lac. I, 5 (Haase).

[2]) Plutarchum c. X et XIV in syssitiis et educatione exponendis eundem adiisse fontem censuimus; contrarium vero statuit Fluegelius, quia c. X phiditia p u l c h e r r i m a dicerentur, c. XIV autem disciplina et ipsa appellaretur p u l c h e r r i m a et gravissima legum pars. At nimiis argutiis hic rem persequitur. Etenim κατάστασις quoque τῶν γερόντων c. V μέγιστον appellatur πλειόνων καινοτομουμένων ὑπὸ τοῦ Λυκούργου.

[3]) Excerptor Ap. Lyc. § 23 auctoris vestigia accuratius legit quam Plutarchus, qui causam non attulerit, cur Lycurgus sola illa certamina permiserit, ἐν οἷς χεὶρ οὐκ ἀνατείνεται. Cf. Senec. de benef. V, 3: Lacedaemonii vetant suos pancratio aut caestu decernere, ubi inferiorem ostendit victi confessio.

itaque capita XXII et XXIII optimo rerum conexu eum cum rei militari tum pacis operibus vacantem describunt, sumi potest hoc quoque caput ex auctore historico delibatum esse.

Caput autem XXIV quin ex auctore antiquario desumptum sit, dubitari nequit; ut autem insequentis auctor possit erui, illius, quod cum cap. XXIII ne minime quidem vel re vel verbis cohaeret, argumentum praemittendum est: tota igitur disciplina apud Lacedaemonios eo spectabat, ne cives ad suum viverent arbitrium, sed omnes saluti reipublicae vacarent; quod ad efficiendum cum prae ceteris opus esset otio, Lacedaemonii quaestum sordidum facere vetiti erant helotaeque eorum agros colebant. Denique studia et exercitationes, quibus explebant otium, describuntur. Cuius capitis initio cum Plutarchus dixisset ἡ δὲ παιδεία μέχρι τῶν ἐνηλίκων διέτεινεν, c. XXV de viris annum tricesimum iam agentibus disserit atque repetit totam vitam hoc uno studio consumi, ut respublica corroboretur et in dies augeatur. Ad caput autem XXVI orationem traducit ita, ut dicat γέροντας initio ἐκ τῶν μετασχόντων τοῦ βουλεύματος, postea vero gerontem suffectum ex optimis viris qui annum sexagesimum iam excesserint, creatos esse. Quibus allatis creandi modum copiosissime describit et c. XXVII, quocum Instituta Laconica congruunt, transitu satis difficili ad sepeliendi rationem accedit tractandam. Ut vero fontem nominem, unde capita XXV et XXVI manasse existimem, utrumque, quamvis nulla iam Apophthegmatum Lycurgi fragmenta relicta sint, tamen eorum auctori assigno. Quae ne ad Institutorum Laconicorum auctorem referamus, vetant dilogiae inter caput XXIV et XXV iam antea detectae; rursus haud improbabile est, capita XXV et XXVI, in quibus Lycurgus ipse nominetur et nobis occurrant elocutiones ut εἴθιζε, κατέστησε, ἔταξε, referenda esse ad auctorem apophthegmaticum. Ad eum autem Plutarchus, postquam c. XXVII et XXVIII, quae cum Inst. Lac. § 18, 19, 20, 30 componi possunt, in rem suam convertit auctorem antiquarium, demum c. XXIX revertitur. Hoc enim loco Lycurgus simulatque Lacedaemonios iurare iusserit Delphis ipso absente leges se non mutaturos esse, statim ad Apollinis oraculum se contulisse narratur; responso autem accepto Lacedaemoniorum rempublicam tamdiu

mansuram esse, quamdiu suis legibus oboediret, domum eum, ne cives suos iureiurando solveret, non abiisse, sed sibi ipsi conscivisse mortem. Eiusdem vero capitis fine, qui ipsa specie differat ab altera parte, Plutarchus ad Institutorum Laconicorum auctorem redit eumque toto quoque capite XXX adiisse videtur, ultimum autem caput, quo de Lycurgi mortui veneratione agatur, ex Apophthegmatum Lycurgi auctore quin delibaverit, dubitari nequit.

Ut omnia quae comparatione nostra assecuti sumus, complectamur, non tantum ea, quae Apophthegmata Lycurgi continent, confirmantur, ita ut rerum ordo et fragmentorum conexus plerumque appareat, sed etiam augentur auctoris apophthegmatici reliquiae. Lycurgum enim videmus praedicari c. XXIII pacis patronum ac laudatorem, deinde c. XXV traditur Lycurgus Lacedaemonios quaestum sordidum facere vetitos ad permagnum tempus subsicivum bene consumendum exhortatus esse; tum c. XXIX docemur de Lycurgi itinere Delphos suscepto ac morte voluntaria; denique c. XXXI Lycurgi mortui veneratio describitur.

Iam quidem auctore historico quodammodo restituto cum provincia fungamur antiquarii refingendi, adiuvamur Institutis Laconicis, in quibus et ipsis quidam ordo conspicitur:

1. De syssitiis.	§ 1—3.	Lyc. c. XII.
2. De puerorum educatione.	§ 4—6.	= = XVI.
	§ 7—11.	
	§ 12. 13.	= = XVII.
3. De musicae studio.	§ 14—16.	= = XXI.
	§ 17.	
4. De funeribus.	§ 18.	} = = XXVII.
5. Lacedaemoniis emigrare non licuit.	§ 19.	
6. De peregrinorum condicione.	§ 20.	
	§ 21. 22.	

[1]) Quod nonnullae §§ huic dispositioni repugnare videntur, mirum esse non potest; nam pro auctoris „integro et valido corpore imago occursat marcida.“

7.	De bonorum communi usu.	§ 23.	
8.	De re militari.	§ 24. 25.	
9.	De votis deorumque cultu.	§ 26—29.	
10.	De servorum statu.	§ 30.	Lyc. c. XXVIII.
11.	De poesis parva cura.	§ 33. 34.	
12.	De poenarum austeritate.	§ 36—39.	
13.	De diamastigosi.	§ 40.[1])	
14.	Lacedaemonii vetiti erant quaestum sordidum facere.	§ 41.	„ „ XXIV.
15.	Varia.	§ 31. 32. 35.[2])	
16.	Epilogus.	§ 42.	

Ordinem igitur quendam in hoc libello quamvis male tradito cerni haud facile negaveris. Comparatio autem obiter inter vitam Lycurgi et Instituta Laconica facta cum iam doceat Plutarchum excerptore multo plura e communi fonte hausisse, illo duce librum περὶ πολιτείας τῶν Λακεδαιμονίων instaurabimus.

In hac re nos exordiri opus est inde a capite XII, quod magnam partem cum excerpto illo congruat et ipsa specie originem suam iam indicet. Statim vero initio docemur multas res, quas Instituta Laconica non exhibent. Complura enim verbi φιδίτιον veriloquia afferuntur; convivarum dicitur numerus eorumque in singulis mensibus symbola, quibus interdum dona voluntaria accedant, deinde comperimus omnes phiditiis, in quibus pueris etiam praesentibus cavillatio derisusque maximopere fuerit in usu, interesse obligatos fuisse. Cum his autem rebus optime coniunguntur insequentia quae conferri licet cum Inst. Lac. § 1:

Lyc. c. XII.	Inst. Lac. § 1.
Τῶν δ' εἰσιόντων ἑκάστῳ δείξας ὁ πρεσβύτατος τὰς θύρας,	Τῶν δὲ εἰσιόντων εἰς τὰ συσσίτια ἑκάστῳ δεικνύων ὁ πρεσ-

1) Haec § haud scio an secundo titulo rectius subiicienda sit.

2) § 35 fortasse melius ad secundum vel nonum titulum refertur.

Διὰ τούτων, φησὶν, ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται.[1]	βύτατος τὰς θύρας, Διὰ τούτων, φησὶν, οὐδεὶς ἐξέρχεται λόγος[2].

Deinde sortitionis[3]) modum in Institutis Laconicis omissum, quae praecessit, priusquam aliquis phiditiorum particeps fieret, in Lycurgo Plutarcheo descriptum legimus. Quo sortitu commemorato Plutarchus sic pergit cum Inst. Lac. § 2 consentiens:

Lyc. c. XII.	Inst. Lac. § 2.
Τῶν δὲ ὄψων εὐδοκίμει μάλιστα παρ᾽ αὐτοῖς ὁ μέλας ζωμὸς, ὥστε μηδὲ κρεαδίου δεῖσθαι τοὺς πρεσβυτέρους, ἀλλὰ παραχωρεῖν τοῖς νεανίσκοις, αὐτοὺς δὲ τοῦ ζωμοῦ καταχεομένους ἑστιᾶσθαι. λέγεται δέ τινα τῶν Ποντικῶν βασιλέων[4]) ἕνεκα τοῦ ζωμοῦ καὶ πρίασθαι λακωνικὸν μάγειρον· εἶτα γευσάμενον δυσ-	Δοκιμαζομένου μάλιστα παρ᾽ αὐτοῖς τοῦ μέλανος λεγομένου ζωμοῦ ὥστε μηδὲ κρεαδίου δεῖσθαι τοὺς πρεσβυτέρους, παραχωρεῖν δὲ τοῖς νεανίσκοις, λέγεται Διονύσιος ὁ τῆς Σικελίας τύραννος τούτου χάριν λακωνικὸν μάγειρον πρίασθαι καὶ προστάξαι σκευάσαι αὐτῷ μηδενὸς φειδόμενον ἀναλώματος· ἔπειτα

[1]) Particula δὲ, quae excerpti initio legitur, ut § 12 et aliis locis, e medio verborum conexu orationem desumptam esse videtur indicare; iam vero etsi auctor illud δὲ non praebuit, facile potuit adiici, cum Instituta Laconica et Lacaenarum Apophthegmata quae sequuntur in codicibus inscriptione prorsus carere ac cum antecedentibus Apophthegmatis Laconicis ut unum librum continuari Wyttenbachii et Treui (Treu, der Lampriaskatalog, Progr. gymn. Waldenburg, 1870) de codicibus Parisinis et Marcianis testimoniis pateat. Quam Apophthegmatum Lac. et Institutorum Lac. commixtionem adiuvabat id, quod Inst. Lac. § 1 et 3 apophthegmatum instar, quae paulo ante satis frequentia auctorum nominibus omissis legebantur, πρεσβυτάτου et coqui Laconici sententias continebant. Ea autem, quae Institutorum Lacon. initio intercepta sunt, e priore Lycurgi capitis XII parte recuperantur.

[2]) Verba εἰς τὰ συσσίτια quae a Plutarcho absunt, ab excerptore ipso perspicuitatis causa ut § 3 οἱ Λάκωνες ἐν τοῖς συσσιτίοις atque § 6 et 12 οἱ νέοι addita sunt. — Cf. Plut. Symp. 697 E. et schol. Plat. Legg. I, p. 568 D.

[3]) De hac sortitione cf. E. Curtius. Griech. Geschichte, ed. quarta I, p. 637 adn. 37 contra Peterum in Mus. Rhen. XXII, p. 65.

[4]) Plutarchus in historiola hoc loco allata regem Ponticum pro Dionysio posuit cum Stob. Serm. XXIX, 100 et Cic. Tusc. V, 34, qui idem tradentes etiam verbis saepe inter se congruunt, Dionysium tyrannum nominent.

χερᾶναι καὶ τὸν μάγειρον εἰπεῖν· Ὦ βασιλεῦ, τοῦτον δεῖ τόν ζωμὸν ἐν τῷ Εὐρώτᾳ λελουμένους ἐποψᾶσθαι.	γευσάμενον καὶ δυσχερανάντα ἀποπτύσαι καὶ τὸν μάγειρον εἰπεῖν· Ὦ βασιλεῦ, τοῦτον δεῖ τὸν ζωμὸν γυμνασάμενον λακωνικῶς [1]) ἔν τε τῷ Εὐρώτᾳ λελουμένον ἐποψᾶσθαι.

Capitis XIII fine Plutarchus prorsus fere cum excerptore consentiens Lacedaemoniorum in potando temperantiam celebravit.

Rebus quae ad phiditia pertinent allatis Plutarchus c. XIII—XV auctorem historicum expilavit. Specie vero, quam caput XVI exhibet eorum Lycurgi locorum monemur, quos Plutarchus auctori cum Institutorum Laconicorum excerptore communi debeat. Quid autem probabilius est quam capitis XVI, cuius altera pars concinit cum Inst. Lac. § 4—6, priorem quoque, quae puerorum educationem inde ab incunabulis usque ad iuventutem exponit, ex eodem fonte, unde Instituta Laconica manaverint, haustam esse? Ita enim sententiarum lacuna, quam inter Inst. Lac. § 3 et 4 nemo est quin statuat, optime expletur atque orationis tenore ita restaurato cognoscimus, quemadmodum pueri instituantur usque ad id temporis, quo litterarum elementis imbui solent.

Iam vero conferantur hi Plutarchi et excerptoris loci:

Lyc. c. XVI.	Inst. Lac. § 4—6.
Γράμματα μὲν οὖν ἕνεκα τῆς χρείας ἐμάνθανον· ἡ δ' ἄλλη πᾶση παιδεία πρὸς τὸ ἄρχεσθαι καλῶς ἐγίνετο καὶ νικᾶν μαχόμενον. Διὸ καὶ τῆς ἡλικίας προερχομένης ἐπέτεινον αὐτῶν τὴν ἄσκησιν, ἐν χρῷ τε κείροντες καὶ βαδίζειν ἀνυποδήτους παίζειν τε γυμ-	§ 4. Γράμματα ἕνεκα τῆς χρείας ἐμάνθανον· τῶν δ' ἄλλων παιδευμάτων ξενηλασίαν ἐποιοῦντο οὐ μᾶλλον ἀνθρώπων ἢ λόγων. [2]) ἡ δὲ παιδεία ἦν αὐτοῖς πρὸς τὸ ἄρχεσθαι καλῶς καὶ καρτερεῖν πονοῦντα καὶ μαχόμενον νικᾶν ἢ ἀποθνήσκειν.

[1]) Quam propius Inst. Lac. § 2 accedat ad Stobaei et Ciceronis narrationem, quam ad Plutarchi, facile potest percipi cum ex aliis tum e verbis γυμνασάμενον Λακωνικῶς quae apud Plutarchum desiderantur, verum apud illos respondent verbis πρὸ τοῦ δείπνου πόνος et „labor in venatu“.

[2]) Cum verbis τῶν δ' ἄλλων — λόγων, quae apud Plutarchum hoc loco desiderantur, cf. Plut. Lyc. c. XXVII et Agid. c. X.

νοὺς ὡς τὰ πολλὰ συνεθίζοντες. Γενόμενοι δὲ δωδεκαετεῖς ἄνευ χιτῶνος ἤδη διετέλουν ἓν ἱμάτιον εἰς τὸν ἐνιαυτὸν λαμβάνοντες, αὐχμηροὶ τὰ σώματα καὶ λουτρῶν καὶ ἀλειμμάτων ἄπειροι πλὴν ὀλίγας ἡμέρας τινὰς τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς τοιαύτης φιλανθρωπίας μετεῖχον. Ἐκάθευδον δὲ κτλ.

§ 5. Διετέλουν δὲ καὶ ἄνευ χιτῶνος ἓν ἱμάτιον εἰς τὸν ἐνιαυτὸν λαμβάνοντες, αὐχμηροὶ τὰ σώματα, καὶ λουτρῶν καὶ ἀλειμμάτων κατὰ τὸ πλεῖστον ἀπεχόμενοι.

§ 6. Ἐκάθευδον δὲ κτλ.

Qua ex comparatione cum liqueat modo Plutarchum modo excerptorem plura praebere, quaestionis, quemadmodum uterque communem adhibuerit auctorem,[1]) solvendae via optime munitur.

Conexu quo § 1—6 inter se cohaerent enucleato paragraphos 7—11 paucis explicemus, quae cum Plutarchi quidem vita non congruunt, aeque vero ac paragraphi modo commemoratae puerorum educationem attingunt. Excerptor enim § 7 de puerorum apud Lacedaemonios amore castissimo agit,[2]) § 8[3]) autem et 9 de poenis, quas pueri luerint, cum § 10[4]) et 11[5]) communis ut omnium rerum ita liberorum quoque possessio describatur.

---

[1]) Liceat huius rationis exemplum proferre. Plutarchus disciplina Laconica in universum consignata addidit illam ad eos quoque, qui aetate iam progressi essent, pertinuisse puerosque assuefactos esse, ut plerumque nudi incederent, quin etiam anno duodecimo exacto semper carerent tunica (ἄνευ χιτῶνος ἤδη διετέλουν). Particulae autem ἤδη, quae augendi vi utatur, praecedere aliquid quod augeatur necesse est; in Institutis quidem Laconicis ei respondere videtur illud καὶ in verbis διετέλουν δὲ καί. Iam vides apud Plutarchum verba ὡς τὰ πολλὰ particula ἤδη et permanendi vi, quae verbo διατελεῖν inest, augeri; tale quid autem in Institutis Laconicis intercidisse cum illud καὶ tum id quod desideratur sententiarum perpetuitas, satis indicant. Excerptor igitur auctoris orationem valde contraxit, sicut in iis quae insequntur verba πλὴν ὀλίγας ἡμέρας τινὰς τοῦ ἐνιαυτοῦ τοιαύτης φιλανθρωπίας verbis κατὰ τὸ πλεῖστον comprehendit.

[2]) Xen. R. Lac. II, 13.

[3]) Xen. R. Lac. III, 5.

[4]) Nicol. Dam. Müll. F. H. G. III, 458: Τοὺς δὲ γέροντας αἰσχύνονται οὐδὲν ἕτερον ἢ τοὺς ἰδίους πατέρας.

[5]) Inst. Lac. § 10, 11 cum Xenophontis quibusdam locis possunt conferri. Hic vero cum R. Lac. VI, 1, 2, 3 bonorum communionem in

Iam antea mihi videor probasse capitum XVII et XVIII magnam partem, ubi sermo fit de puerorum exercitationibus furandi ac de parvi victus commodis, ex antiquario desumpta esse. Institutorum vero Laconicorum excerptor hoc loco auctoris vestigia multo accuratius legit Plutarcho atque componi potest cum Heraclide Pontico, qui ordine inverso primum narrat pueros temperantia, deinde furando assuefactos esse, et cum Xenophonte:

Heraclid. Pont. Müll. F. H. G. II, 211: [1])	Inst. Lac. § 13.
Τρέφουσι δὲ τὰ τέκνα ὥστε μηδέποτε πληροῦν, ἵνα ἐθίζωνται δύνασθαι πεινῆν· ἐθίζουσι δὲ αὐτοὺς καὶ κλέπτειν καὶ τὸν ἁλόντα κολάζουσι πληγαῖς [2]), ἵν᾽ ἐκ τούτου πονεῖν καὶ ἀγρυπνεῖν δύνωνται ἐν τοῖς πολέμοις.	Τὸ δὲ ἔργον τῆς σιτοδείας διά τε ταῦτα γλίσχρον ἦν καὶ ἵν᾽ ἐθίζωνται μηδέποτε γίνεσθαι πλήρεις, δύνασθαι δὲ πεινῆν· οὕτω γὰρ ᾤοντο καὶ ἐν πολέμῳ χρησιμωτέρους ἔσεσθαι, εἰ δύναιντο καὶ ἀσιτήσαντες ἐπιπονῆσαι·

universum tractans, quod attinet ad liberos, servos, bona, deinceps exemplis exposuerit, excerptor § 10 de communi omnium rerum cura agit et § 11 de liberorum communione, sed § 23 demum, quae consentit cum Xen. R. Lac. VI, 3, bonorum communis possessionis exemplum profert. Facile igitur intellegitur vinculum, quo illae res apud Xenophontem inter se coniunctae sint, in Institutis Laconicis desiderari.

[1]) Fluegel. p. 47.

[2]) Quod hoc loco omnibusque aliis hanc rem tractantibus verberatio furti poena traditur, repudiat Trieber. l. c. illud καὶ τὸ πεινῆν Lyc. c. XVII et Inst. Lac. § 12 allatum aeque ac multae commemorationem, quam pueros deprehensos commisisse Isocrates in Panath. § 211 verbis ἀργύριον ἀποτίνειν auctor est. Concedo quidem, quae ab Isocrate narrantur, ea a reliquis non proferri, sed cum causa non sit, cur eius fidem in dubium vocemus, in medio haec reliquerim; falsa vero mihi videntur esse, quae Trieber. de Plutarchi et Ps.-Plutarchi locis iudicavit; immo legitimum locum verba καὶ τὸ πεινῆν obtinent. Ea enim quae insequuntur, agunt de puerorum victu tam parco, ut fame coacti quidquid possint nancisci arripiant. Quod igitur reliqui utpote per se intellegendum omiserunt, pueros, cum furti tenerentur, affectos esse verberibus iisque cibo, quem surripuerant, privatis etiam copiam demptam esse famem explendi, id auctor antiquarius adiecit. Rem autem si ita consideraveris, omnis tolletur difficultas.

Xen. R. Lac. II, 7, 8, 9.
Σῖτόν γε μὴν ἔταξε τοσοῦτον ἔχοντα συμβουλεύειν τὸν ἄρρενα ὡς ὑπὸ πλησμονῆς μὲν μήποτε βαρύνεσθαι, τοῦ δὲ ἐνδεεστέρως διάγειν μὴ ἀπείρως ἔχειν, νομίζων τοὺς οὕτω παιδευομένους μᾶλλον μὲν ἂν δύνασθαι, εἰ δεήσειεν, ἀσιτήσαντας ἐπιπονῆσαι, μᾶλλον δ' ἂν εἰ παραγγελθείη, ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ σίτου πλείω χρόνον ἐπιταθῆναι, ἧττον δ' ἂν ὄψου δεῖσθαι, εὐχερέστερον δὲ πρὸς πᾶν ἔχειν βρῶμα· καὶ ὑγιεινοτέρους δ' ἂν διάγειν καὶ εἰς μῆκος ἂν αὐξάνεσθαι τὴν ῥαδινὰ τὰ σώματα ποιοῦσαν τροφὴν μᾶλλον συλλαμβάνειν ἡγήσατο ἢ τὴν διαπλατύνουσαν τῷ σίτῳ .... ταῦτα οὖν δὴ πάντα δῆλον ὅτι μηχανικωτέρους τῶν ἐπιτηδείων βουλόμενος τοὺς παῖδας ποιεῖν καὶ πολεμικωτέρους οὕτως ἐπαίδευσεν.

καὶ ἐγκρατεστέρους δὲ καὶ εὐτελεστέρους εἰ πλείω χρόνον διάγοιεν ἀπὸ μικρᾶς δαπάνης, τὴν δ' ἀνοψίαν ἀποφέρειν ᾧ βρῶμα τὸ τυχὸν προσφέρεσθαι ᾤοντο ὑγιεινότερα τὰ σώματα ἀπὸ τῆς ἐλλειπούσης ποιεῖν τροφῆς καὶ αὔξειν εἰς βάθος καὶ πλάτος μὴ πιεζόμενον ἐπαίρειν εἰς ὕψος τὰ σώματα· καὶ καλὰ κτλ.[1])

Xenophontis vero locum eo confidentius adhibere licet, quod excerptor et Plutarchus eundem rerum ordinem cum illo exhibent nec tamen ita, ut eos Xenophontem ducem sibi elegisse contendas. Ac profecto capitis XVIII quoque initium illius rempublicam Lacedaemoniorum in mentem nobis revocat;[2]) hoc enim loco, ut puerorum furta πεφροντισμένως facta exemplo demonstret, Plutarchus narrat puerum, qui vulpeculam surripuerit, deprensum occultasse atque ab ea vehementibus morsibus vexatum mortem subire maluisse, quam clamore furem

[1]) Misere haec perturbata esse apparet.
[2]) Cf. Trieber. p. 24.

patefieri.[1]) Cuius constantiae simile exemplum Plutarchus ephebos praebere dicit, quos ad Dianae Orthiae aram flagellis verberari ipse viderit. Certe igitur optime haec antecedenti orationi adiunxit; quod quidem Xenophon l. c. omnia eodem ordine tractans confirmat, qui cum iis, quibus furandi exercitationes exponuntur, coniuncta haec exhibeat: καὶ ὡς πλείστους δὴ ἁρπάσαι τύλους (vel τύπους)[2]) παρ' Ορθίας καλὸν θεὶς μαστιγοῦν τούτους ἄλλοις ἐπέταξε· τοῦτο δὴ δηλῶσαι βουλόμενος ὅτι ἐστὶν ὀλίγον χρόνον ἀλγήσαντα πολὺν χρόνον εὐδοκιμοῦντα εὐφραίνεσθαι. Res autem cum in Institutis Laconicis eodem ordine se excipiant, quis cognationem quandam inter duos hos locos neget?[3]) Denique ex tota hac quaestione aliud quoque commodum haud parvi aestimandum paratur, ut lacunam, quae inter Inst. Lac. § 13 et 14 sine ulla dubitatione statuenda est, magnam partem possimus supplere.

Puerorum verberatione commemorata Plutarchus ad auctorem capitis XVII initio excerptum, quem post verba κλέπτειν καὶ ἀτέχνως reliquerat, quasi nihil interiecisset, c. XVIII verbis Δειπνήσας δὲ ὁ εἴρην κτλ., revertitur atque ad eiusdem capitis finem eum retinet. Capiti XIX aperte ex auctore historico petito insequens, quo

---

[1]) Eadem traduntur Apophth. Lac. p. 288 (Duebn.) eaque postquam paulo ante de furandi exercitationibus legitimis actum est.

[2]) Cum Haasio sic pro voce τυρούς tradita coniiciente facio.

[3]) Quamvis ea, quae capitis XVIII initio de diamastigosi dicuntur, non e fonte hausta, sed a Plutarcho adiecta esse habitus verborum: καὶ τοῦτο μὲν οὐδὲ ἀπὸ τῶν νῦν ἐφήβων ἄπιστόν ἐστιν, ὧν πολλοὺς ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας ἑωράκαμεν ἀποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς satis doceat, artissime tamen cum antecedenti sententia cohaerent, ideoque exstitisse aliquid necesse est, quod Plutarchum, ut adderet de illo instituto quae ipse viderat, commoveret. Auctorem igitur antiquarium hoc loco verberationem in Dianae Orthiae festo factam descripsisse non sine probabilitate me statuere arbitror, idque eo magis quod Xenophon eodem ordine semper adhibito fere eadem tradens, cum furandi exercitationes explicaverit, puerorum in diamastigosi illa constantiam collaudet; hunc autem auctoris antiquarii locum legens Plutarchus commotus est, ut res quas ipse viderat, narraret. Qua ex argumentatione cum constare videatur auctorem Plutarcho et excerptori communem eo loco, qui inter § 13 et 14 Institutorum statuendus est, de puerorum verberatione egisse, mirum est Inst. Lac. § 40 eandem rem attingi.

multa apophthegmata contineantur,[1]) optime videtur accommodari; tamen dubius haereo, num id ex eodem fonte manasse contendam. Illud enim praebet fere solius Lycurgi sententias, hoc autem aliorum tantum apophthegmata, qua in re certe consilium quoddam cernitur; deinde hoc caput historice conscriptum non est. Tum Apophthegmatum Lycurgi excerptor, si eius auctor sententias c. XIX allatas continuisset, nonne unam alteramve protulisset, praesertim cum iam saepius rettulisset aliorum apophthegmata[2]), non Lycurgi modo? Deinde ea de causa praestare videtur hoc caput antiquario tribuere auctori, quia capitis XXI, quod cum Inst. Lac. § 14. 15. 16 congruit, initium Ἡ δὲ περὶ τὰς ᾠδὰς καὶ τὰ μέλη παίδευσις οὐχ ἧττον ἐσπουδάζετο τῆς ἐν τοῖς λόγοις εὐζηλίας καὶ καθαριότητος ad aliquid rebus c. XX tractatis simile quod antecesserit spectat: atque adeo haec eadem verba, quae Plutarchus capitis XXI initio protulit, Institutorum quoque Laconicorum compilator § 14 adhibuit: sed cum nollet disserere de studio brevi ac facete loquendi, verba τῆς ἐν τοῖς λόγοις εὐζηλίας καὶ καθαριότητος, quae illius capitis argumentum monerent, praetermisit nec tamen particulam καὶ antecessisse aliquid indicantem ac voces comparativas οὐδὲν ἧττον, quae cum re comparata omittendae erant, sustulit. Caput autem XX si auctori reipublicae Lacedaemoniorum vindicandum sit, via nobis aperiatur lacunae, quae inter Inst. Lac. § 13 et 14 conspicitur, explendae.

Capite XXI quo de musicae apud Lacedaemonios cultu agitur,[3]) absoluto Plutarchus cum c. XXII alia de tibiarum in proeliis usu ac musicae modis bellicis ex auctore historico deprompturus esset, non addidit quae Inst. Lac. § 17 sententiis

---

[1]) Charilai Archidamidae Agidis Theopompi Pleistonactis sententiae in Apophthegmatis Laconicis quoque et viri ignoti apophthegma: Ἕτερος δέ τις ἰδὼν ἐν ἀποχωρήσει θακεύοντας ἐπὶ δίφρων ἀνθρώπους, Μὴ γένοιτο, εἶπεν, ἐνταῦθα καθίσαι, ὅθεν οὐκ ἔστιν ὑπεξαναστῆναι πρεσβυτέρῳ in sententiarum collectione Διάφορα τῶν ἐν τοῖς Λάκωσιν ἀδόξων ἀποφθέγματα inscripta § 10 leguntur. Altera autem Archidamidae sententia hoc capite tradita in Apophthegmatis Laconicis Agidi, Archidami filio, tribuitur.

[2]) § 10. 13. 20.

[3]) Ceterum Plutarchus hoc loco auctoris compagem haud leviter mutavit.

optime sese excipientibus simplicitatem stabilitatemque musicae Laconicae attingunt; demum c. XXIV ad antiquarium auctorem rediit.

Iam vero quaestio instituenda est, in qua difficultates haud spernendae oboriuntur. Cum enim omnibus locis, quos adhuc Instituta Laconica et Lycurgi vitam inter se conferentes tractavimus, idem ordo fuerit, hoc rerum cursu nunc iam perturbato Inst. Lac. § 41 respondet capiti XXIV, capiti autem XXVII illius excerpti paragraphi 18, 19, 20. Uter igitur, Plutarchus an excerptor, auctoris compagem dissolutam praebeat, anquirendum est, nec dubito quin Institutorum Laconicorum ordo primarius fuerit.

Ex argumentatione quam p. 15 sqq. protulimus, capita XXV et XXVI ex alio manasse fonte quam capita XXIV et XXVII, etiam colligi potest, quantus transpositionis quam coniecimus ambitus fuerit; locus enim transpositus finibus capitis XXIV determinatur, quo accepto restat, ut Institutorum Laconicorum ordinem etiam sententia flagitari comprobemus.

Inst. Lac. § 18—20 quamvis inter se coniunctae esse non videantur, eas disiungi tamen non posse c. XXVII nisus postea evidenter confirmabo; ceterum cum aliis quoque paragraphis apte cohaerent. Nonne enim § 21 et 22, quae apud Plutarchum desiderantur, in Institutis Laconicis optime adnectuntur antecedenti orationi? Ille satis habuit ξενηλασίαν a Lycurgo institutam descripsisse nec peregrinorum apud Lacedaemonios condicionem explanandam sibi esse credidit. Paragraphos autem, quae usque ad § 29 sequuntur quibusque agitur de communi omnium bonorum possessione, de re militari, de deorum cultu ac precibus, Plutarchus neglexit partim quod subtiliora persequerentur, partim quod eorum argumentum iam tetigisset ut res bellicas c. XXII; § 30[1]) demum quamvis non iisdem verbis in capite XXVIII, quod optime cum antecedenti capite ex auctore antiquario petito coniunctum est, affertur, postquam cryptia eiusque causae atque omnino servorum apud Lacedaemonios status exposita sunt. Quae cum ita sint, facile

---

[1]) § 30 narratur servos inebriatos pueris, ut ab ebrietate deterreantur, ostendi solere.

potest intellegi, quamobrem § 30 inter paragraphos, quibuscum sententia non cohaerere videtur, legatur neque ut suspicari fortasse libet, in puerorum educationis descriptione ob argumentum suum debeat poni; nempe relicta est ex auctoris capite, quo copiosius servorum condicionem explicaverat. Tum constare mihi videtur Inst. Lac. § 18—30, inter quas nonnulla sane ob libri formam valde mutilatam modo pauca modo plura intercepta esse necesse est, apud auctorem antiquarium inter se apte cohaesisse. Ut igitur caput XXVII et XXVIII arte inter se conectuntur, ita ne illae quidem paragraphi possunt seiungi; capitis vero XXIV argumentum nec cum antecedentibus nec cum insequentibus sententiis coniunctum est, ita ut dubitem, num recte suum sibi vindicet locum. Denique Inst. Lac. § 42, quae capiti XXIV respondet, loco quem nunc tenet eo minus potest moveri, quod oratione et sententiarum conexu optime ad totius libri epilogum traducimur;[1]) commemoratur enim Lacedaemonios, quamvis vetiti essent quaestui vacare, postea legibus non obtemperantes divitias congessisse luxuriaeque deditos paulatim ruisse ad interitum. Nonne igitur ita optima evadit sententia? Non etiam § 42 initio alia, quae facere vetiti erant, enumerantur, quae illi negligentes reipublicae fundamenta concusserunt? Plutarchus autem narrationem, Lacedaemonios quaestum sordidum facere vetitos esse, videtur transposuisse, quia sepeliendi modi descriptionem quam longissime ad finem differri aptius putaret.

In comparando progressi lacunam quae inter Inst. Lac. § 18[2]) et 19 extat apud Plutarchum expletam videmus sententia, Lycurgum, cum nihil antiquius in legibus ferendis haberet, quam ne ullum institutum inutile esset, potius omnia cives exhortarentur ad virtutem appetendam, urbem abundantem reddidisse praeclarissimis exemplis, quae ut imitarentur, assi-

---

[1]) Huic rerum contextui non repugnat, quod capitis XXIV finem, quo agitur de Lacedaemoniorum in otio exercitationibus, apud auctorem antiquarium inter (Inst. Lac.) § 41 et 42 locum obtinuisse censemus.

[2]) Excerptor quamvis in hac paragrapho auctorem valde in brevius coegit, tamen aliquid plus exhibet, quod ad auctorem referendum videtur, κατ' ἴσον ἅπαντας sepeliri; atque Heraclides Ponticus l. c. idem testatur: εὐτελεῖς δὲ ταφαὶ καὶ ἴσαι πᾶσίν εἰσιν.

duo aspectu Lacedaemonios commoveri necesse esset; ideoque emigrare et peregre vagari non licuisse. Ea autem quae sequuntur cum Institutis Laconicis consentiunt. Capite vero XXVIII Plutarchus ea, quae § 21. 22. 23[1]. 24[2]. 25. 26. 27[3]. 28. 29[4] praebent, causis supra expositis ductus omisit atque cryptiam servorumque condicionem explicavit.

Iam vero Plutarchus ad auctorem historicum reversus in capitis XXIX priore parte finem factorum vitaeque Lycurgi describit, in posteriore autem cum Inst. Lac. § 42 consentiens tradit Apollinis oraculum eventu comprobatum esse, cum Sparta, quamdiu Lycurgi legibus uteretur, semper ceteris Graeciae civitatibus antecederet; quomodo vero iis neglectis magis magisque in perniciem incurrerit, insequentis capitis initio docemur.

Institutorum Laconicorum epilogum, qui § 42 continetur, tam arte cum § 41, quam conferre licet cum Plut. Lyc. c. XXIV, coniunctum esse apparet, ut dirimi nequeat ac pauca de Lacedaemoniorum in otio ludis[5] inter illas possint intercepta esse. Primo vero aspectu iam elucet paragraphum 42 optimam sententiarum concinnitatem praebere: Lacedaemonii, qui rei navali studere vetiti erant, postea tamen proelia navalia inierunt; cuius rei magna incommoda ubi primum intellexerunt, destiterunt, nihilominus autem πάλιν μετεβάλλοντο καθάπερ ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσι; huius vero morum commutationis exemplum in medium profertur, Lacedaemonios, cum antea pro crimine capitali haberetur divitias in urbem conferre, quod ora-

---

[1]) Cf. Xen. R. Lac. VI, 3 seqq. et Aristot. Polit. II, 2, 5.

[2]) Cf. Aristot. in schol. Aristoph. Acharn. v. 320: Ἀριστοτέλης δέ φησι ἐν Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ χρῆσθαι Λακεδαιμονίους φοινικίδι πρὸς τοὺς πολεμίους, τοῦτο μὲν ὅτι τὸ τοῦ χρώματος αἱματῶδες τῆς τοῦ αἵματος ῥύσεως εἰθίζει ὑπερφρονεῖν et apud Moeridem Atticistam, Müll. F. H. G. II, 130: Φοινικίς, ἔνδυμα Λακωνικόν, ὁπότε εἰς πόλεμον ἴοιεν, διὰ τὸ ὁμοχροεῖν τῷ αἵματι. Ἀριστοτέλης ἐν πολιτείᾳ λέγει.

[3]) Cf. Plat. Alcib. alt. p. 42 F.

[4]) Hae §§ partim inter se cohaerent velut § 26—29, quae de votis deorumque cultu agant, partim e medio orationis cursu desumptae esse videntur; reliquae vero usque ad § 39 tam remota tractant, ut non mirum sit, cur Plutarchus eas in fructum suum non converterit.

[5]) Cf. Lyc. c. XXIV.

culum Alcameni et Theopompo regibus datum [1]) luxuriam Spartae interiturae causam fore vaticinatum esset, Lysandrum Athenis captis magnam praedam apportantem laudibus extulisse. Lycurgi autem legibus obtemperantem Spartam totius Graeciae diu obtinuisse principatum. At mirum est in hoc epilogo [2]) quod describitur id tantum, quomodo Sparta paulatim auctoritatem libertatemque perdiderit, eius autem florentis nulla fit mentio. Capite vero XXX cum de Spartae gloria maxime pervulgata auctoritateque gravissima agatur, omnia, quae illo continentur, auctorem antiquarium exhibuisse existimo. Quae ne temere dixisse videar, addo caput XXX ad Lycurgum ipsum minime pertinere.

E comparatione igitur non modo apparet Lycurgi vita res ab excerptore traditas confirmari, ita ut plerumque intellegatur, quomodo singula fragmenta inter se cohaereant atque sese excipiant, sed etiam multa cognoscimus, quae in Institutis Laconicis omissa sint: accuratius enim docemur de syssitiis, deinde puerorum educatio usque ad id tempus, quo gregibus inserebantur, describitur, tum vero exponitur cryptia atque omnino servorum status, denique Spartae auctoritas quantum valuerit traditur.

Quaestione ad hunc finem perducta possem ad alia festinare, nisi utile esset paululum subsistere et quae adhuc assecutus sim, paucis comprehendere. Argumentatione mea

---

[1]) Hoc oraculum ab Aristotele quoque (ap. Zenob. Müll. F. H. G. II, 131) in Lacedaemoniorum politia integro versu affertur:

ʽΑ φιλοχρηματία Σπάρταν ἑλοῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν.

Voci ἑλοῖ sane illud ὀλεῖ aliis locis (cf. Müll.) confirmatum praeferendum est, additamenti autem ἄλλο δὲ οὐδὲν Cicero quoque in lib. de off. II, 22 testis est.

[2]) Conferatur cum Inst. Lac. § 42 Nicolai Damasceni Historiarum fragmentum, quo, postquam de Lacedaemoniorum iureiurando et Lycurgi itinere morteque voluntaria disseruit, historiolam illam satis notam, Lycurgum duos canes diverso modo altos demonstrantem cives ad priorem vivendi rationem deserendam esse exhortatum, affert ac Lycurgi venerationem commemorat his verbis adiectis: Οἱ δὲ πεισθέντες οὐ τῶν περιοίκων μόνον ἀλλὰ καὶ πάντων Ἑλλήνων διαφανῶς ἄριστοι ἐγένοντο, ἡγεμόνες τε συνεχῶς, ἐξ ὅτου παρεδέξαντο τοὺς νόμους, ἐπὶ ἔτη πεντακόσια, καὶ οὐ πολλοῦ χρόνου ἐπὶ μέγα ἐχώρησαν δυνάμεως. Müll. F. H. G. III, 390.

evicisse mihi videor Plutarchum in vita Lycurgi duos potissimum auctores describendos sibi sumpsisse, quorum argumentum ordinemque, quantum fieri potuit, instauravimus. Haec duo vero excerpta re et verbis tantopere inter se discrepant, ut e communi fonte non possint hausta esse.

Iam necesse esset singulari examini subiicere quaestionem, ad quemnam scriptorem Instituta Laconica et ea Lycurgi capita quae cum illis congruunt aut cohaerent pertinerent; sed haec quaestio summis obsita est difficultatibus, quas solvere non potui. Restat, ut repetam illius excerpti auctorem, qui instituta legesque Lacedaemoniorum explanaverit, ante Corinthi expugnationem non scripsisse. Quod vero ad auctorem ipsum attinet, exstiterit quispiam, qui parva similitudine inter Instituta Laconica et Nicolai Damasceni fragmenta quaedam[1]) adductus illum a Plutarcho et excerptore adhibitum esse censeret; neque illius aetas, qui Octaviani tempore viveret ac summa auctoritate fideque uteretur, tali coniecturae repugnaret; sed obstant causae gravissimae. Ut enim omittam duo illa fragmenta e diversis Nicolai Damasceni libris, ex Historiis et e libro παραδόξων ἐθῶν συναγωγὴ delibata esse, Instituta vero Laconica unius esse videri libri, consensio nulla fere est neque in paradoxis res eo ordine traduntur, quo Instituta Laconica disposita sunt.

Quisnam igitur excerpti illius auctor fuerit, nescimus; hoc vero e consensu, qui inter excerptorem et Aristotelem eiusque sectatorem, Heraclidem Ponticum, nonnunquam conspicitur[2]), colligi potest, Instituta Laconica hausta esse e Lacedaemoniorum politia auctori tribuenda, qui potissimum Aristotele usus sit.

---

[1]) Inst. Lac. § 42: Nicol. Damasc. Müll. F. H. G. III, 390; Inst. Lac. § 10: Nicol. Damasc. Müll. F. H. G. III, 458.

[2]) Inst. Lac. § 5: Heracl. Pontic. Müll. F. H. G. II, 211; Inst. Lac. § 13: Heracl. Pontic. l. c.; Inst. Lac. § 18: Heracl. Pontic. l. c.; Inst. Lac. § 23: Aristot. Politic. II, 2, 5; Inst. Lac. § 24: Aristot. apud schol. Aristoph. Acharn. v. 320, Müll. F. H. G. II, 130, Aristot. apud Moerin Atticist., Müll. l. c. Inst. Lac. § 42: Aristot. apud Zenob. Müll. F. H. G. II, 131.

Ipsum vero auctorem indagare non licet; in capite vero insequenti de auctore quem communem Plutarchus et Apophthegmatum Lycurgi excerptor adierunt, certam sententiam in medium proferam.

IV.

Wyttenbachius Regum et Imperatorum Apophthegmata Plutarchi non esse probans sententiam fudit, quae de Apophthegmatis Lycurgi quoque quodammodo dicenda est: „Porro non illud fecisset (scil. Plutarchus), quod aliquoties factum animadvertimus, ut res quae aliis in libris tamquam sollerter facta narraverat, his in libris tamquam acute dicta referret atque ita strategemata et πολιτεύματα in apophthegmatum speciem transformaret.“ Attendas enim, cum Apophthegmata Lycurgi in Plutarchi vitae comparationem veniant, illorum auctorem ab excerptore in apophthegmatum formam esse redactum, ita ut res a Lycurgo gestae vel institutae sententiarum habitum nunc gerant [1]); nihilominus autem forma talis mansit, ut, quae olim fuerit, coniecturam capias; huc accedit, quod § 3. 6. 7. 18. 19 specie apophthegmatica prorsus carentes Lycurgi fata factaque historice referunt [2]). Unde facile collegeris auctorem, quem excerptor sequitur, omnino res historice prosecutum esse ita quidem ut sententias facetas ubique adiiceret.

Quae Lycurgi apophthegmata maiori sententiarum corpori, quod litterarum ordine dispositum Ἀποφθέγματα Λακωνικὰ vo-

---

[1]) Cf. Lyc. c. X et Apophth. Lyc. § 4, 5. Causas enim, quibus phiditiorum institutio in Plutarchi vita defenditur, in brevius contractas excerptor Lycurgum ipsum afferentem facit, atque sententiam illam, divitias caecas esse, quae apud Plutarchum pervulgata appellatur, Apophth. Lac. § 5 Lycurgus ipse profert. Alibi quoque de industria excerptor orationem auctoris in apophthegmatum speciem transformavit: nempe omnia argumenta quae rhetram de legibus non scriptis latam tuentur, Apophth. Lyc. § 8 sententia Lycurgi continentur, atque causas, quae aliam rhetram de aedium simplicitate confirmant, oratione directa profert Lycurgus Apophth. Lyc. § 9.

[2]) Paragraphos, quae aliorum ac Lycurgi dicta referunt ut § 10. 13. 14. 20, quod in meum converto usum, nemo mirabitur; nam illae documento sunt Apophthegmatum Lycurgi auctorem minime solam Lycurgi sententiarum enarrationem spectasse, sed fuisse historicum, qui aliorum quoque apophthegmata occasione data afferret.

catur, inesse notum est. Omnia autem, quae praeter Lycurgi apophthegmata hac collectione continentur, persaepe eandem exhibent formam, qua illa composita vidimus. Ut enim omittam multos locos ita esse comparatos, ut alicuius viri apophthegmati multa verba, quae illius rationem vivendi vel facta describant atque copiose adumbrent sententiam ipsam, antecedant, loci, quos historice conscriptos inveni, iam sufficiunt ad sententiam probandam, totum apophthegmatum corpus ex historico delibatum esse auctore. Ac profecto haud raro facta pro dictis referuntur: Agesil. § 18. 32. 38. 42. 46. 47. 48. 49. 50. 52. 53. 60. 74[1]). 76. 77; Cleomen. § 16; Leonid. § 15; Lysand. § 14, 15[2]); Sous. Multa igitur emicant vestigia, quae formam primariam prodant. Scriptor vero, e quo Apophthegmata Laconica excerpta sunt, non vitas inlustrium Lacedaemoniorum conscripsisse intellegitur, sed potius res Laconicas historice tractasse. Hunc autem librum, quem satis amplum fuisse excerpta docent, Plutarchus non in Lycurgo modo, sed etiam in omnibus fere[3]) reliquis vitis Laconicis adhibuit; consensus enim facile deprehenditur inter Plutarchi Lysandrum, Agesilaum, Agidem et Apophthegmata Lysandri, Agesilai, Agidis; quin etiam res inter se congruentes semper eodem ordine traduntur.

Ut autem facilius Apophthegmata Laconica et Plutarchi vitae Laconicae inter se possint conferri, hoc schema addo:

Apophth. Lysandri.	Vita Lysandri.
§ 1.	c. II.
§ 2.	= VII.
§ 3.	= VII.

1) Ut unum rationis historicae specimen afferam, Agesil. § 74 legimus: Τὸν δ' Ἐπαμεινώνδαν ἐπελθόντα μετὰ τοσούτου ῥεύματος καὶ κλυδῶνος, τῶν Θηβαίων καὶ συμμάχων μεγαλαυχουμένων ἐπὶ τῇ νίκῃ, ὅμως εἶρξε τῆς πόλεως καὶ ἀναστρέψαι ἐποίησεν, ὀλίγων ὄντων τῶν ἐν τῇ πόλει.

2) In hac § traditur ephoros eos, qui Lysandri vivi filias spe divitiarum ducti uxores sibi poposcissent, repudiarent vero eo mortuo cum pauperem illum fuisse cognovissent, poena affecisse.

3) Num Plutarchus in Cleomenis tertii quoque vita illum auctorem historicum expilaverit, ostendi nequit, quod sententia huius Cleomenis in Apophthegmatis Laconicis omnino nulla afferatur.

§ 4.	c. VIII.
§ 5.	= XIV.
§ 6.	= XXII.
§ 9.	= XXII.
§ 14.	= XXIV. XXX.
§ 15.	= XXX.
Apophth. Agesil.	Vita Agesil.
§ 11—13.	c. IX.
§ 14.	= X.
§ 15.	= XI.
§ 16. 17.	= XIII.
§ 18.	= XIV.
§ 40.	= XV.
§ 42—46.	= XVI.
§ 47. 48.	= XVII. XVIII. XIX.
§ 49. 50. 52. 53.	= XX.
§ 57. 58. 59.	= XXI.
§ 60—63.	= XXIII.
§ 69.	= XXIII.
§ 70.	= XXV.
§ 71. 72.	= XXVI.
§ 73.	= XXX.
§ 78.	= XXXIX.
Apophth. Agidis ultimi.	Vita Agidis.
—	c. XX.

Quantopere igitur Plutarchi vitae Laconicae cum Apophthegmatis Laconicis consentiant, planum est; quin etiam totum fere Agesilai Plutarchei caput XVI in Apophthegmatis Agesilai legitur.

Iam ut ea quae argumentatione nostra profecimus, complectar, Apopthegmata Laconica excerpta sunt ex magno quodam libro, ubi virorum inlustrium potissimum ratione habita uno perpetuae orationis vinculo res Laconicae conexae ac memoriae proditae erant. Quam operis compagem excerptor virorum dicta litterarum ordine componens dissolvit, ita ut dispositione sublata rerum cursum historicum nunc iam perturbatum et ima summis mixta videas. Excerptor autem auctorem cum Plutarcho communem adiit ita, ut sententias, quibus ille liber

refertus fuit, hinc illinc depromens atque etiam res gestas in apophthegmatum formam redigens litterarum ordinem sequeretur. Historicum vero auctorem non biographicum ab Apophthegmatum Laconicorum excerptore et a Plutarcho exscriptum esse evidenti exemplo evincam.

Ea enim quae in Lycurgi capite II re et verbis aperte ad historicum quendam auctorem revocando de dolo, quem Sous, ut assequeretur regnum, adhibuerit, traduntur, Apophthegmatum quoque Laconicorum caput, quod Soi nomen gerit, iisdem fere verbis reddit. Cum vero vix credi possit communem illum auctorem, quem statuimus, Soi vitam peculiarem conscripsisse, quid probabilius est quam excerptorem ea, quae de Soo commemoravit, ex eodem scriptore, quem in vitae Lycurgi maxima parte adhibitum vidimus, deprompta singulari capiti subiecisse? Nec falli me puto opinione, res de Soo dictas communem auctorem, ubi ageret de historia Laconica antiquissima, narrasse. Si vero res ita se habet, Soi apophthegmate quod dicitur, reapse non est, optime sententia mea stabilitur, Apophthegmatum Laconicorum auctorem ordine chronologico res Lacedaemoniorum tractasse. Hoc igitur quaerendo assecuti sumus, excerpta quae Apophthegmatis Laconicis continentur, ex eodem auctore delibata esse, quem Plutarchus in Lycurgi Lysandri Agesilai Agidis vitis excerpendum sibi sumpsit; is vero vitas virorum inlustrium potissimum respiciens perpetuam rerum Laconicarum historiam tractavit eamque sententiis facete dictis historiolisque lepidis distinxit.

Nunc iam cum anquiramus, quisnam ille fuerit, scriptorum numerum perlustrare oportet, qui in Lycurgi Plutarchei capitibus ad auctorem historicum adhuc relatis nominentur. Qui sunt: Critias, Theophrastus, Dioscorides, Aristoteles, Plato, Hippias, Philostephanus, Hermippus, Demetrius Phalereus, Sosibius, Timaeus, Apollothemis, Aristoxenus, Aristocrates. Horum autem omnium Aristocrates Lacedaemonius, qui secundo vel primo a. Chr. saeculo floruerit,[1]) proxime accedit ad Plutarchi aetatem. Cuius operis quod minimum

[1]) Müll. F. H. G. IV. 332.

quatuor libros continuit [1]), inscriptio Λακωνικὰ adiuvat sententiam meam, Aristocratis librum esse illum, quem Apophthegmatum Laconicorum excerptor et Plutarchus adierunt; Fluegelii autem sententiam, Aristocratem Institutorum quoque Laconicorum communem esse fontem, cum iam ea argumentatione, qua duo illa excerpta ad diversos rettuli auctores, refutaverim, documenta meae coniecturae statim proferam.

Primum Aristocratis fragmenta examinemus.

Fr. 1, quod ab Athenaeo l. c. librum illius scriptoris nominante traditur, de pirorum genere quodam Laconicorum agitur nec, licet conexum sententiarum, quo illud commemoratum fuerit, nequeamus perspicere, est causa, cur rem ab Athenaeo allatam reiiciamus.

Fragm. 2 et 3 mox perlustrabo [2]).

Quartus autem locus, Plut. Philop. c. XVI, quo Aristocrates appellatur, certe a libri argumento non abhorret. Idem docet illum historiam Lacedaemoniorum usque ad tempus societatis Achaicae descripsisse, id quod Fluegelius ad Aristocratis aetatem delineandam adhibuit.

Deinde fragmenti 5 [3]) argumentum mythologicum, quo Euboeae insulae nomen Ἀβαντὶς derivare conatur, sane spectare non videtur ad res, quas Λακωνικὰ exhibuisse consentaneum est, at cum in eo Aristocratis liber non citetur, id haud scio an ad aliud eiusdem scriptum ignotum referendum sit.

Tum sextus locus qui in schol. Soph. Trach. v. 266 memoriae proditur quoque Creophylo auctore Eurytum regem duos, Aristocrate vero teste tres filios habuisse narrat, potest desumptus esse ex illa Laconicorum parte, qua Lacedaemoniorum historiam vetustissimam tractaverat. Eurytus enim, Oechaliae rex, ab Hercule, qui tam arte conexus est cum prisca historia Laconica, interfectus est.

Deinde e fragm. 7 [4]), quod de Phrynide Mytilenensi citharoedo disserit, si quidem Aristocratis est, id quod nonnulli

---

1) Athen. III. p. 82 E.

2) Cf. p. 35.

3) Apud Steph. Byzant. s. v. Ἀβαντίς.

4) In schol. Aristoph. Nub. v. 791.

viri docti negant, sumi potest Aristocratem in Laconicis de musica quoque Spartae florente disputasse; etenim e Plut. Agid. c. X patet Phrynidem Spartae commoratum esse.

Facile igitur et ex titulo et ex Aristocratis fragmentis intellegitur eius librum historice fuisse conscriptum: magnam autem rationem habuisse eum virorum inlustrium, vitae Lycurgi capita IV et XXXI, in quibus nominatur ille, satis confirmant. Ab altero vero loco cum quaestione iam procedenti mihi proficiscendum sit, afferam eum: Ἀριστοκράτης δὲ ὁ Ἱππάρχου φησὶ τοὺς ξένους τοῦ Λυκούργου τελευτήσαντος ἐν Κρήτῃ καῦσαι τὸ σῶμα καὶ διασπεῖραι τὴν τέφραν εἰς τὴν θάλατταν, αὐτοῦ δεηθέντος καὶ φυλαξαμένου, μή ποτε ἄρα τῶν λειψάνων εἰς Λακεδαίμονα κομισθέντων, ὡς ἐπανήκοντος αὐτοῦ καὶ τῶν ὅρκων λελυμένων μεταβάλωσι τὴν πολιτείαν. Aristocrates autem in vitae Lycurgi partibus quas auctori historico Plutarchum debere iudicavimus, quod nisi hoc loco non nominatur, non est, cur miremur; nam veteres historici saepe nomina scriptorum apud auctorem allata solent describere, ipsum vero auctorem in fine demum longioris excerpti eumque plerumque hoc tantum consilio appellare, ut quae ille dixerit in suspicionem vocent [1]), quod quidem optime quadrat ad c. XXXI, simulque si diversas de Lycurgi morte ac veneratione sententias aliorum omisimus, invenimus vinculum, quo Aristocratis narratio cum antecedenti oratione coniungitur; capitis enim XXXI fine revocamur ad caput XXIX, quo actum est de Lacedaemoniorum iureiurando, itaque novo argumento sententia mea p. 16. 27. 28 allata adiuvatur, capitis XXIX ultimam partem et caput XXX ex alio manasse fonte quam illius priorem partem et caput XXXI.

At non modo c. XXXI, quod ex Ephoro manasse recentiore auctore intercedente Fluegelius [2]) comprobavit, commemoratur Aristocrates, sed ut iam dixi c. IV quoque; quo quidem Lycurgi iter describitur, quod Charilai imperio firmato, ne tyrannidis suspicionem excitaret, fecerit, atque huius rei mentio ita fit,

---

[1]) Cf. Flueg. p. 51 et Gilbert. p. 103.

[2]) p. 32.

ut aliorum de diversis Lycurgi peregrinationibus postquam allatae sunt sententiae, Aristocrates promatur atque erroris arguatur. Eadem igitur Plutarchi ratio auctorem principalem citandi hic obtinet. Nonnullos autem eiusdem capitis locos cum Ephoro posse conferri[1]) vidit Trieberus[2]).

Iam vero alia res in quaestionem venit, num reliqua capita ad auctorem eundem pertineant. Trieberus[3]) schol. Platonis loco[4]), quem cum fine primi Lycurgi capitis consentientem ad Ephorum referendum esse e Strabone[5]) appareret, nisus demonstrare studuit priora Plutarchi vitae capita ad Ephorum spectare. Ac profecto eorum ipsa specie facile possumus adduci, ut ex historico ea desumpta esse putemus; sed virorum doctorum de his capitibus sententias, quae valde inter se discrepent, breviter perscrutemur necesse est.

Peter l. c. Phylarchum, qui saec. III floruit et historias composuit, Lycurgi Plutarchei auctorem fuisse contendit. Cui sententiae Phylarchi de syssitiis fragmentum[6]) cum Plutarcho haud conveniens repugnare Fluegelius p. 5[7]) animadvertit[8]). Fluegelii autem sententia, quam ante explicasse nunc satis habeo, maximam partem Gilberti[9]) assensum tulit, sed ita ut hic quae referuntur de Lycurgi vita Hermippo, Phylarchi fere aequali, vindicaverit. At Hermippum si quidem Plutarchus, id quod vehementer dubito, adiit, paucis locis, non per maius vitae Lycurgi spatium secutus est; historicum vero auctorem

---

1) Ad nonnullas a Gilberto statutas discrepantias postea aggrediar examinandas.

2) Forsch. zur spart. Verfassungsgeschichte, Berol. 1871, p. 67 sqq.

3) L. c. p. 48 sqq.

4) Schol. Plat. Rep. X, p. 559 D.

5) X p. 431 ubi Ephori fragmentum affertur.

6) Müll. F. H. G. I, 346.

7) Deinde conferantur quae Fluegelius contra Peterum de Lycurgi in Aegyptum itinere protulit.

8) De Grotii sententia, Plutarchum sequi potissimum Sphaerum Bosporanum, cuius partes Oncken, die Staatslehre des Aristoteles, Lips. 1870 p. 224 sqq., 231 sqq. suscepit, cf. Fluegel. p. 3.

9) p. 110.

a Plutarcho plerumque adhibitum illum non esse apparet ex Athen. XIII p. 555 C[1]), ubi Hermippus prorsus alio modo quam Plutarchus in Lyc. c. XV ad auctorem apophthegmaticum referendo de nuptiis disserat.

Iam vidimus Lycurgi capita IV et XXXI, in quibus Aristocrates nominatur, Plutarchum cum Ephoro posse conferri. Quodsi in reliquis capitibus, quae, licet cum Apophthegmatis Lycurgi non congruant, tamen historice composita sint, saepe locos Ephori fragmentis similes invenimus, Aristocratem semper intellegendum esse auctorem probabile videtur.

Capitis primi verba οὐ μὴν ἀλλά, καίπερ οὕτως πεπλανημένης τῆς ἱστορίας πειρασόμεθα τοῖς βραχυτάτας ἔχουσιν ἀντιλογίας ἢ γνωριμωτάτους μάρτυρας ἑπόμενοι τῶν γεγραμμένων περὶ τοῦ ἀνδρὸς ἀποδοῦναι τὴν διήγησιν cum Gilberto e Plutarchi ingenio profecta habeo, dubius autem haereo utrum alia eiusdem capitis verba cum Triebero assignanda sint Ephoro an Apollodoro cum Fluegelio; tamen illius partes suscipere malim.

Capita vero II. III. IV ad Ephorum, cuius cum fragmentis aliquoties consentiant, spectare recte censuit Trieberus, cuius sententiam Fluegelius Plutarchum cum illo congruere Aristocrate intercedente contendens supplet. Utrique autem cum Gilbertus ob dissensiones, quae extant inter Plutarchi vitam et Ephori fragmenta, Hermippum statuens auctorem videatur repugnare, discrepantias illas paucis perpendemus. Cap. II Plutarchus Soum, Ephorus Agidem helotas subigentem facit; deinde c. IV ille a Lycurgo Thaletam Spartam missum esse narrat, Ephorus autem Lycurgum πλησιάσαι Θαλῆτι μελοποιῷ ἀνδρὶ καὶ νομοθετικῷ; hic denique Lycurgi cum Homero ipso consuetudinem commemorat, cum Plutarchus carmina Homerica a Creophyli posteris accipientem Lycurgum faciat[2]). Quas dissensiones sane haud leves Fluegelius cum Aristocrati, qui Ephorum excerpserit quidem, sed idem corrigere studuerit, tribuat, iure fecit nec iusta est Gilberti reprehensio[3]).

---

[1]) Cf. O. Müll. Dor. II, 282.

[2]) Idem fere Heraclides Ponticus l. c. rettulit.

[3]) p. 101.

Quod ad caput V attinet, virorum doctorum sententiae in contrarias distrahuntur partes, ita ut Fluegelius maximam eius partem e Phylarcho delibatam habeat, deinde Gilbertus statuat Plutarchum illud Hermippo intercedente mutuatum esse a Phylarcho, denique Trieberus manasse ex Ephoro censeat. Primum autem cum Gilberto contra Fluegelium tenendum est caput V cum antecedenti, quod ad Aristocratem rettulimus, apte nexum esse; Ephori vero fragmentum, quod ille attulit, verbis cum Lycurgi loco non congruit. Hoc autem verisimile est, Phylarchum hoc loco esse exscriptum. At quomodo Hermippi nomen huic narrationi irrepsit? Fluegelius ita studuit hunc nodum solvere, ut diceret Plutarchum Hermippi locum, cum c. I Apollodorum, qui hauserit ex illo, excerperet, legisse atque hic attulisse. Gilbertus autem Hermippi nomine et rebus, quae de Pythagoreorum doctrina commonefacerent, adductus contendit illo intercedente e Phylarcho Plutarchum sua delibasse. Sed coniecturae propositae rem non evincunt. Nam Hermippus citatur etiam in capite XXIII, quod sententia ac specie cum c. XXII coniunctum ideoque ex auctore historico i. e. ex Aristocrate depromptum probavimus[1]; consentaneum igitur est Plutarchum c. V aeque ac c. XXIII non ipsum legisse Hermippum, sed eius commemorationem auctori, qui in manibus ipsius fuerit, debere. Si vero rem ita consideramus, caput V haud scio an ad eundem auctorem, quem Plutarchus sequitur cap. XXIII, referendum sit, i. e. ad Aristocratem. Iam vero ut redeat oratio unde aberravit, cum Phylarchi locos quosdam capiti V similes[2] esse constet, Aristocrate intercedente Plutarchum illum sequi non sine magna veri specie contendamus. Verba autem πλειόνων καινοτομουμένων ὑπὸ τοῦ Λυκούργου πρῶτον ἦν καὶ μέγιστον ἡ κατάστασις τῶν γερόντων, quae capitum VIII et X initiis[3] respondent, sententiam meam adiuvant, quia haec capita ex auctore historico delibata sunt.

---

[1] p. 38.

[2] Cf. Flueg. p. 24 sqq.

[3] Δεύτερον δὲ τῶν Λυκούργου πολιτευμάτων κτλ. et τὸ τρίτον πολίτευμα κτλ. cf. Flueg. p. 26.

Deinde Fluegelius caput VI ex Ephoro manasse, alio scriptore interveniente, demonstravit[1]), capitis autem insequentis initium ad Aristotelem censuit spectare. In altera vero eiusdem capitis parte cum Plutarchus Lycurgum laudibus efferat propter ephoriae institutionem, quam centum triginta annis post Theopompus fecisse initio traditur, ob hanc discrepantiam chronologicam[2]) cum Fluegelio hoc caput in duas discindere partes non dubito, licet Messeniorum Argivorumque utrobique mentio sententiarum concinnitatem videatur defendere. Priorem autem nostri capitis partem si attente pervestigaveris, certe non infitiaberis eam ex historico desumptam esse, praesertim cum capitis XXIX fini ad auctorem antiquarium relato repugnet ita, ut illic ephoria regnum confirmare, hic vero eadem aristocratiam dicatur;[3]) posteriorem vero partem haud scio an Plutarchus auctori antiquario debeat.

Ut ea quae disputatione nostra nancti sumus, paucis complectar, capita I—VII maximam partem ex eodem auctore delibata esse videntur, cui cap. VIII, IX, X, XI, XIII, XIV, XV, XIX, XXII, XXIII, XXV, XXVI, XXIX (scil. priorem partem), XXXI[4]) tribui; hunc vero auctorem, qui res Laconicas prosecutus virorum praeclarorum potissimum vitam factaque copiose descripsit, Aristocratem esse, Ephori sectatorem, iam vidimus. Restat autem, ut nonnulla proferam, quae illud etiam magis confirment.

Persaepe e Lycurgi nonnullorum locorum cum Ephoro consensu collegimus Aristocrati illos esse vindicandos; cum autem non modo Apophthegmata Lycurgi, sed etiam tota Apophthegmatum Laconicorum collectio ex Aristocrate compilata esse docuerim, omnes huius corporis loci, qui cum Ephoro possunt componi, sententiam illam stabiliunt. In hac quidem

---

1) p. 28 sqq.

2) Cf. E. Curtius, Griech. Gesch. ed. quart. I, p. 637, adn. 41.

3) Cf. Flueg. p. 31.

4) In plurimis capitibus cum Fluegelio assentiar Ephorum i. e. Aristocratem putanti auctorem, non est, cur longius eius argumenta exponam; ceterum nonnullas ab illo de hac re allatas opiniones, quibuscum dissentio, suo loco iam examinavi.

quaestione maxime Fluegelii et Stedefeldtii[1]) argumenta in meum convertam usum.

Apophth. Lyc. § 1, qua historiola illa de canibus diverso modo educatis refertur, cum Nicolai Damasceni fragmento, quod praeterea Lycurgi iter Delphos factum mortemque narrat, convenit; qui historicus cum inde ab Heraclidarum reditu in rebus Graecis tractandis Ephoro se addixerit[2]), narratiuncula quoque illa ex Ephoro delibata videtur. Deinde Fluegelius p. 33 animadvertit Lycurgi tertiam rhetram Lyc. c. XIII allatam Polyaenum quoque haud raro Ephorum sequentem tradidisse, eandemque Agesil. c. XXVI, quem locum ad eundem pertinere auctorem verisimile esset, commemorari.[3]) Quod vero e consensu, qui inter Apophthegmata Lysandri et vitam Lysandri cernitur, efficiendum putavimus in his duobus libellis Aristocratem expilatum esse, ad hanc sententiam magnum redundat commodum e Stedefeldtii quaestione, qua vitae Lysandri magnam partem ex Ephoro desumptam esse probaverit[4]). Ac profecto e Lysandri capitibus, quae cum illa apophthegmatum collectione componi posse vidimus, nonnulla vir ille doctus ad Ephorum revocavit.[5]) Deinde iure vitam Lysandri Ephorum in Agesilao quoque Plutarcheo adhibitum indicare censuit. Si

---

[1]) In dissert. de Lysandri Plutarchei fontibus, Bonnae 1867.

[2]) Müll. F. H. G. III, p. 390. Flueg. p. 13, 20.

[3]) Cf. Fluegel. p. 33.

[4]) Valde mirum est quod Stedefeldtius Apophthegmata Laconica non respexit, quae cum Lysandri satis multas tradant sententias tum nonnunquam non tam apophthegmatice quam historice conscripta sint quaeque saepe cum vita Lysandri conferri posse animadverterimus. Quin etiam de narratiunculis Lys. c. XXII initio allatis dicit: ,unde autem hauserit (scil. Plutarchus) has res, operae pretium non duxi inquirere, quippe quae neque cum antecedentibus nec cum sequentibus argumenti perpetuitate cohaereant'; atque putat veri simillimum, ,permutasse Plutarchum, quae ipse Lysander facete dixerit, cum eis, quae alios Spartanorum duces protulisse legit' (p. 48). Denique ,Lysandri de pelle leonina facetias', quae Ap. Lys. § 3 et vit. Lys. c. VII traduntur, apud Xenophontem non legi satis habet dixisse (p. 54). Tantopere neglexit ille apophthegmata Lysandri, in quae ei vitam Lysandri tractanti inquirendum erat.

[5]) p. 57. 58.

enim Apophth. Lys. § 14 et Apophth. Agesil. § 52 cum vitae Agesil. c. XX congruentes contuleris cum vit. Lys. c. XXIV et XXX, consensum non desiderabis; sed „seditiosa . . . . Lysandri consilia et cum mortuus sit, talis criminis inventa in eius domo documenta unde repetiisset (scil. Plutarchus), nesciremus, nisi in vita Lysandri earundem rerum testem diserte commemoraret Ephorum" (p. 40).

Neque minus digna est quae comprobetur Stedefeldtii sententia, Agesilai et Lysandri Plutarchei locos cum Xenophonte consentientes ad Ephorum potissimum referendos esse.[1])

V.

Adhuc neglеximus tria alia apophthegmatum corpora, quae Plutarchi esse vulgo dicuntur, sed et ipsa eius non esse apparet: Διάφορα τῶν ἐν τοῖς Λάκωσιν ἀδόξων ἀποφθέγματα, quae Apophthegmatis Laconicis adnexa sunt, et Λακαινῶν ἀποφθέγματα, quae Instituta Laconica sequuntur, et Ἀποφθέγματα τῶν βασιλέων καὶ στρατηγῶν Apophthegmatis Laconicis praegressa; iam vero de his libellis pauca lubet adiicere.

Prima quidem collectio, cuius § 27. 28. 29. 30 forma apophthegmatica prorsus carent, haud scio an ex Aristocratis Laconicis, quae apophthegmatis videntur referta fuisse, compilata sit.

Idem dicendum est de Lacaenarum apophthegmatis,[2]) quae partim nomina gerunt, partim incertarum sunt mulierum.

Aliter vero res se habet in Regum et imperatorum apophthegmatis.[3]) Hic enim non modo Lacedaemoniorum apophthegmata afferuntur, sed etiam aliorum Graecorum ac barbarorum; quin etiam permulta Romanorum adiuncta sunt. Omnia autem secundum nationes civitatesque disposita sunt, cum in singulis civitatibus ordo chronologicus obtineat. Hanc igitur

---

[1]) p. 43. 47. 48. 55.

[2]) Cf. Volkmann. p. 235.

[3]) Ex argumentatione qua Volkmannus rem omni parte illustravit, constat hunc libellum Plutarchi non esse; nec minus sagaciter ille pro certo posuit epistolam ad Traianum huic excerpto praemissam falsarium maxime ineptum adiecisse.

sententiarum collectionem cum Apophthegmatis Laconicis quae e continua rerum Laconicarum historia delibata sint, nullo modo conferri licet, quippe quae e multis scriptis compilata sit.

Attente vero si eam percurrimus, multis locis auctores cognoscimus, quos res historice persecutos esse oporteat. Quod ne temere coniecisse videar, exempla enumerabo, quae virorum inlustrium non dicta sed facta[1]) referunt: Cyri § 1; Semiramis[2]); Xerxis § 1. 2. 3; Aegypti regum mos; Cotys; Gelonis § 1. 2. 4; Hieronis § 5; Dionysii maioris § 10; Philippi § 1. 31; Alexandri § 23. 28; Antigoni § 2; Antigoni secundi § 1; Antiochi tertii § 2; Antiochus Hierax; Antiochi § 2; Themistoclis § 3. 6; Aristidis § 1. 2. 4. 5; Alcibiadis § 3; Iphicratis § 1; Phocionis § 1; Epaminondae § 1; Scipionis maioris § 6; Titi Quinctii Flaminini § 2; Pauli Aemilii § 8; Catonis maioris § 27; Scipionis minoris § 1. 2. 4. 6. 7. 14. 16; Gaii Marii § 1. 3; Lutatius Catulus; Sulla; Gnaei Pompeii § 1. 2. 8; Ciceronis § 21; Caesaris § 1; Augusti § 1. 4. 6. 9. 14. Qui loci cum praeclarorum virorum fata factaque describant, nonnulli alii referunt aliorum dicta, quam quorum nominibus capita inscripta leguntur: Hieronis § 3; Philippi § 28. 30. Alexandri § 34; Lysimachi § 2; Phocionis § 15; Lycurgi § 5; Brasidae § 3; Fabii Maximi § 3; Scipionis minoris § 3.

Nemo igitur certe refragabitur mihi contendenti Reg. et imp. apophthegmata permulta eodem modo quo Apophthegmata Laconica ex historicis libris desumpta esse.

Illius autem collectionis capita quae Lacedaemoniorum sententias referunt,[3]) consentiunt ita cum Apophthegmatis Laconicis, ut omnia fere nomina, quibus illic capita subiiciuntur,

---

[1]) Multis exemplis iam Volkmannus p. 222 illud edocuit.

[2]) Monumenti eius elogium traditur.

[3]) Nicostrati, Argivorum ducis, apophthegma, quod inter Damonidae et Eudamidae sententias interiectum est, huc non pertinere liquet; facile autem potuit irrepere, cum Nicostratus Archidamo, Lacedaemoniorum regi, in eo respondeat. Ceterum notandum est hoc et Theopompi et Charilai (§ 3) apophthegmatis exceptis omnes reliquas huius corporis sententias Laconicas in Apophthegmatis Laconicis legi.

hic quoque inveniamus[1]) atque etiam saepe eadem ratione sententiae sese excipiant.

Quin etiam Reg. et imp. apophthegmata Lycurgi Lysandri Agesilai ut cum Apophthegmatis Laconicis ita quoque cum Plutarchi vitis, quae eorundem virorum fata factaque describunt, persaepe conveniunt. Quod ut melius intellegatur, hoc schema adiungo:

Reg. et imp. apophth. Lys.	Apophth. Lyc.	Plut. vit. Lyc.
3	9	} XIII
5	11	
2	21	} XIX
4	23	
1	29	XXII
= = Charilai	= Charilai	
1	1	
2	2	
= = Telecli	= Telecri	
= = Archidami	= Archidami[2])	
= = Brasidae	= Brasidae	
1	1	
2	2	
3	4	
= = Agidis	= Agidis[3])	
1	3	
2	4	
5	5	
3	10	
4	= Agidis[4]) 2	
= = Lysandri	= Lysandri	Plut. vit. Lys.
1	1	II
2	3	VII
3	6	XXII
5	8	
4	9	XXII

1) Nonnunquam, id quod parvi facio, virorum nomina eadem vel similia inter se confunduntur.

2) Agesilai filii.

3) Archidami filii.

4) Agidis minoris.

Reg. et imp. apophth. Ages.	Apophth. Agesilai	Plut. vit. Agesil.
7	10	
8	16	XIII
4	17	
6	45	XVI
9	58	XXI
5	59	
3	62	XXIII
2	63	
1	64	
10	73	XXX
11	78	XXXIX
12	79	
= = Archidami[1]	= Archidami[2]	
—	8	
= = Agid. min.	= Agid. min.	
1	1	
2	= Agid. Archid.	
	fil. 1	
= = Cleomenis	= Cleomenis[3]	
= = Paedareti	= Paedareti	
= = Damonidae	= Damonidae	
= = Eudamidae	= Eudamidae	
1	1	
2	2	
= = Antiochi	= Antiochi	
= = Antalcidae	= Antalcidae	
1	1	
2	2	
3[4]	3	

Sane Lacedaemoniorum sententiae, quae Regum et imp. apophthegmatis continentur, etiam magis decurtatae sunt quam Apophthegmata Laconica. Ex his vero excerpti illius angustiis

---

[1]) Agesilai fratris.
[2]) Agesilai filii.
[3]) Cleombroti filii.
[4]) Cf. Plut. vit. Agesil. c. XXXI.

eiusque cum his consensu si quis sumit Reg. et imp. apophth. Laconica excerpta esse ex Apophthegmatis Laconicis, vehementer errat. Ut enim tantum duo exempla proferam ad opinionem illam refutandam, Reg. et imp. apophth. Lyc. § 5 et Apophth. Lac. Lyc. § 11 si comparaveris [1]) cum Plut. vit. Lyc. c. XIII, haud infitiaberis illius excerpti scriptorem eum non sequi, qui Apophthegmata Laconica compilavit. [1]) Antalcidae enim dictum, quod Apophth. Lac. Lyc. § 11 abest, Lycurgi vero Plutarchei loco legitur, Reg. et imp. apophth. Lyc. § 5 allatum videmus.

Deinde alterum argumentum etiam magis opinionem meam stabiliverit. Lysandri enim duo apophthegmata, quae sententia ipsa apte cohaerent, Plut. Lys. c. II coniuncta praebet, cum alterum Reg. et imp. apophth. Lys. § 1, alterum Apophth. Lac. Lys. § 1 legatur. Iuvat locos ipsos afferre:

Plut. Lys. c. II.

Διονυσίου δὲ τοῦ τυράννου πέμψαντος αὐτοῦ ταῖς θυγατράσι πολυτελῆ χιτώνια τῶν Σικελίων οὐκ ἔλαβεν, εἰπὼν φοβεῖσθαι, μὴ διὰ ταῦτα μᾶλλον αἰσχραὶ φανῶσιν. Ἀλλ' ὀλίγον ὕστερον πρὸς τὸν αὐτὸν τύραννον ἐκ τῆς αὐτῆς πόλεως ἀποσταλεὶς πρεςβευτής, προςπέμψαντος αὐτῶ δύο στόλας ἐκείνου καὶ κελεύσαντος ἣν βούλεται τούτων ἑλόμενον τῇ θυγατρὶ κομίζειν, αὐτὴν ἐκείνην ἔφη, βέλτιον αἱρήσεσθαι· καὶ λαβὼν ἀμφοτέρας ἀπῆλθεν.

Reg. et imp. apophth. Lys. § 1.

Λύσανδρος Διονυσίου τοῦ τυράννου πέμψαντος ἱμάτια ταῖς θυγατράσιν αὐτοῦ τῶν πολυτελῶν, οὐκ ἔλαβεν εἰπών, Δεδιέναι, μὴ διὰ ταῦτα μᾶλλον αἰσχραὶ φανῶσιν.

Apophth. Lac. Lys. § 1.

Λύσανδρος προσπέμψαντος αὐτῷ τοῦ Διονυσίου δύο στόλας κελεύσαντος ἣ βούλεται τῇ θυγατρὶ κομίζοντα, Αὐτὴν ἐκείνην, ἔφη, βέλτιον αἱρήσεσθαι· καὶ λαβὼν ἀμφοτέρας ἀπῆλθεν.

Facile igitur intellegitur Reg. et imp. apophthegmata ex Apophthegmatis Laconicis desumpta non esse. Simul autem refellam coniecturam, in quam aliquis facile possit incidere, illa e Plutarchi vitis Laconicis hausta esse. Licet enim illa excerpta sint exilia, compluribus tamen locis Plutarchi libros ubertate superant. [2])

---

[1]) Cf. Wyttenbach. p. 1101.

[2]) Cf. Reg. et imp. apophth. Lyc. § 4 et Plut. Lyc c. XIX.

Iam quidem nulla alia sententia relicta esse videtur nisi haec, Reg. et imp. apophth. Laconica, ut breviter dicam, aeque ac Plutarchi vitas Laconicas et Apophthegmata Laconica, quibuscum illa congruunt, per se sola ex Aristocrate manasse. Sed ne hoc quidem comprobari potest, quoniam forma illius epitomae alia est eiusque cum his libris consensus non talis, qualis inter Apophthegmatum Laconicorum excerptorem et Plutarchum pernoscitur. Quod ut melius pateat, hi loci conferantur[1]):

Plut. Lyc. c. XIII.

Τρίτην δὲ ῥήτραν διαμνημονεύουσι τοῦ Λυκούργου τὴν κωλύουσαν ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς πολεμίους στρατεύειν, ἵνα μὴ πολλάκις ἀμύνεσθαι συνεθιζόμενοι πολεμικοὶ γένωνται. Καὶ τοῦτό γε μάλιστα κατηγοροῦσιν Ἀγησιλάου τοῦ βασιλέως ὕστερον, ὡς ταῖς συνεχέσι καὶ πυκναῖς εἰς τὴν Βοιωτίαν ἐμβολαῖς καὶ στρατείαις τοὺς Θηβαίους ἀντιπάλους τοῖς Λακεδαιμονίοις κατασκευάσαντος. Διὸ καὶ τετρωμένον αὐτὸν ἰδὼν Ἀνταλκίδας, Κάλα, ἔφη, τὰ διδασκάλια παρὰ Θηβαίων ἀπολαμβάνεις, μὴ βουλομένους αὐτοὺς μηδὲ εἰδότας μάχεσθαι διδάξας.

Apophth. Lac. Lyc. § 11.

Ἐρωτηθεὶς δὲ διὰ τί ἐκώλυσεν ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς πολεμίους πολλάκις στρατεύεσθαι, ἔφη, Ἵνα μὴ πολλάκις ἀμύνεσθαι συνεθιζόμενοι ἔμπειροι πολέμου γένωνται. Διὸ καὶ Ἀγησιλάῳ ἔγκλημα οὐ βραχὺ ἔδοξεν εἶναι ταῖς εἰς τὴν Βοιωτίαν συνεχέσιν εἰσβολαῖς καὶ στρατείαις τοὺς Θηβαίους ἀντιπάλους Λακεδαιμονίοις κατασκευάσαντος.

Reg. et imp. apophth. Lyc. § 6.

Στρατεύειν δὲ πολλάκις ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς ἐκώλυσεν, ὅπως μὴ ποιῶσι μαχιμωτέρους. Ὕστερον οὖν τοῦ Ἀγησιλάου τρωθέντος, ὁ Ἀνταλκίδας εἶπεν, κάλα διδασκάλια παρὰ Θηβαίων λαμβάνειν αὐτὸν, ἐθίσαντα καὶ διδάξαντα πολεμεῖν ἄκοντας.

Sed ipsa Regum et imperatorum apophthegmatum condicio satis superque ostendit ea undique excerpta esse.

Commentatione ad finem perducta restat, ut quae de singulorum Lycurgi Plutarchei capitum fontibus proposui, hoc schemate significem:

---

[1]) Praeterea cf. Reg. et imp. apophth. Lyc. § 1, Ap. Lac. Lyc. § 29, vit. Lyc. c. XXII; Reg. et imp. apophth. Lys. § 9, vit. Lys. c. XXII.

Cap. I—VI: Aristocratis Laconica.

Cap. VII usque ad verba ἐπὶ τὸ δημοτικὸν ἐθελήσαντας: Aristocrates. Inde a verbis Ὃ καὶ μάλιστα: πολιτεία Λακεδαιμονίων?

Cap. VIII—XI: Aristocrates.

Cap. XII: π. Λ.

Cap. XIII—XV: Aristocrates.

Cap. XVI: π. Λ.

Cap. XVII inde a verbis Κλέπτουσι δὲ καὶ τῶν σιτίων, cap. XVIII usque ad verba ἀποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς: π. Λ. Reliqua, quae his duobus capitibus continentur, neque ad Aristocratem neque ad π. Λ. referri possunt.

Cap. XIX: Aristocrates.

Cap. XX: π. Λ.?

Cap. XXI: π. Λ.

Cap. XXII. XXIII: Aristocrates.

Cap. XXIV: π. Λ.

Cap. XXV, XXVI: Aristocrates.

Cap. XXVII, XXVIII: π. Λ.

Cap. XXIX usque ad verba Καὶ οὐ διεψεύσθη τῶν λογισμῶν: Aristocrates.

Cap. XXIX inde a verbis τοσοῦτον ἐπρώτευσεν et cap. XXX: π. Λ.

Cap. XXXI. Aristocrates.

Vita.

Ricardus Boehm natus sum Leobsitii a. h. s. LII a. d. III Non. Martias patre Floriano quem ante hos XIII annos praematura morte mihi ereptum esse maximopere doleo, matre Agnete, e gente Jessel. Fidem profiteor catholicam. Primum eruditus sum Neostadii s/S. in schola latina quae dicitur, tum gymnasium Leobsitiense, v. ill. Henrico Kruhl directore, per octo annos adii. Testimonio maturitatis impetrato a. h. s. LXX in civium academicorum numerum receptus sum Stobbio iterum fasces tenente. Scholis interfui virorum ill. Bittner, Dilthey, Elvenich, Foerster, Hertz, Junkmann, Krawutzky, Neumann, Reifferscheid, Rossbach, Rueckert, Stenzler, Weber. Per tria semestria proseminarii, per duo seminarii regii philologici sodalis fui.

Omnes praeceptores ac studiorum meorum fautores, imprimis autem Hertz, Reifferscheid, Rossbach pio gratoque animo semper mihi colendi erunt.

Theses.

I. Xenoph. Reip. Lac. c. II (ed. Haase) inter § 10 et 11 lacunam statuo.

II. Nicolai Damasceni fragmentum e libro παραδόξων ἐθῶν συναγωγῇ relictum, quo de Lacedaemoniis agitur, e Xenophonte, recentiore auctore intercedente, manavit.

III. Trieber (in diss. de Nicol. Damasc. Gotting. 1866 p. 9) non recte contendit Plutarchum in vita Lycurgi e Xenophonte hausisse.

IV. Apophth. Lac. Lyc. § 23 pro πονεῖν scripserim παίζειν.

V. Tibull. I, 9 improbanda est transpositio versuum 69 et 70 quam Lucianus Muellerus (ed. 1870) fecit et interrogationis signo post versum 70 posito codicum memoria retinenda.

VI. Cum Nauckio in Sophoclis Oedipo tyranno versus 1035 et 1036 suspectos habeo.
